NICOLAI BARPTHOLE-MAEI LOCHIENSIS CHRISTVS XYLONICVS.



PARISIIS

Ex officina Simonis Colinæi.

1531

NICOLAI BARPTHOLE-
MAEI LOCHIENSIS CHRI-
STVS XYLONICVS.

Primus actus.

CHRISTVS.

Am nox ruit caligine inuoluens po
i *ſum:*
Et iam remotæ menſæ, & exem-
pta eſt fames
Epulis, patriq; dictus hymnus: ocyus
Surgite, & eamus notũ in hortũ. in horto Adam
Primum auſus eſt nefas: in horto par erit
Illud piari, irámque placari patris.
Sed interim, leuemus vt dictis viam,
Sunt quæ moneri voce vos noſtra velim.
Nunc ô amici (iure amicos dixerim:
Sed qui tamen meo mei eſtis munere,
Quos ſumpſerim, dignóſq; duxerim prior
Queis crederem cæleſtium rerum fidem)
Nunc inquam, amici, idem quod antè latius
(Nunc ſumma tantum ſequar rerum faſtigia)
Sermone bene longo palam prædiximus,
Ad memoriam reducite, & reponite
Mente alta: vt illud quando erit, vobis prius
Dictum volentes perferatis æquius.
Venit dies ſumma, atque ineluctabilis,

Meúmq; tempus inſtat, vt ſuam haud meam
Culpam, ruináſque generis reſarciam.
Venit tyrannus mundi, qui antè, nemine
Quidem repugnante, facile orbem preſſerat
Imperio: in me mouit, loco ſigna extulit.
Verum nil poterit, poſſe licet videbitur.
Quin virium vi deturbabitur foras:
Numináq; verſa, viréſque alias ſentiet:
Eiúſque diripientur & gaza, & domus
Ad hanc inaudito diem victoriæ
Genere, nimirum qua ſpolia victus leget,
Victóq; ſupplex victor herbam porriget.
Pugnamus ante ſigna, primi in prælia
Audemus, & munimus in cælum viam:
Vaſta damus omnia, & aditus vi rumpimus,
Vobiſq; noſtro regna parimus ſanguine:
Nec iam me humus capit, iam olympo poſtulor,
Animam me adhuc creſcentẽ oportet linquere,
Paruo alioqui vſui futuram. nam velut
Granum, niſi vdo immaduerit prius ſolo,
Humóq; multa quaſi occulatur mortuum,
Infertile haud vllis graueſcet fœtibus.
Quòd ſi illud apte foſſum humi mandabitur,
Miris modis inoleſcet, ac ſpicam dabit,
Quæ voto vel auariſſimi reſpondeat
Agricolæ: haud aliter me ſepulchro condier
Fas morte functum, & regna viuis inuia
Ire, aſpicere, vincere certiſſimo omnium

Mortalium compendio, quò prouehor
Videns, voléns〈q〉. Iamiam ſiſtar gentibus,
Ac non ſecus quàm vaſta in ſolitudine
A Moſe ſerpens amite ſublatus fuit:
Ipſe exaltabor. at vos ſtate interriti
Nec veſtri obliuiſcamini in diſcrimine.
Spectate finem: tertio nam pòſt die
Radij prius quàm ſolis orbi illuxerint,
Videbitis reducem, luci〈q〉 redditum.
Vos vero quæ me, fata tangunt ſimilia:
Nullus magiſtro ſeruus eſt præſtâtior:
Nullos vobis, quàm mihi, æquiores credite.
Iniuriæ omnes, at〈q〉 opprobria omnia
Ob nomen vnius meum vobis erunt
Subeunda. vos patres, matres, vos filij
Hac perſequentur gratia. pellemini,
Cædemini, petemini〈q〉 in vincula.
Periculo, aut metu moueri abſiſtite.
Solum hunc timete, nutu olympum qui ſuo
Tremefacit, & corpus animám〈q〉 funere
Heu nimis acerbo poteſt æternum mergere.
Non hi, quorum enſis ſolum corpus hauſerit,
Vobis timori ſint. contrà, ite audentius
Virtutibus macti, & ferendo vincite.
Pulcherrima (vt nil addat his pater) dabunt
Veſtri〈q〉 mores, ménſ〈q〉 recti conſcia.
Nec nulla erũt, nec metus, laborũ hinc præmia.
Vos ſummo in axe longe linquentes nothos,

Nubiláq; propiores patris mei atrio
(Vnde humiles terras, & ima ſubtus tartara,
Nec non olympi hoc omne ſtellantis iubar
Sub pedibus, & cadentem, & ſurgentem ſimul
Diem, vicéſq; temporum miremini)
Læti laborum biſſeno inſidebitis
Solio: atq; biſſenis, genus quæ trahunt ſuum
Ab Iſraele, tribubus velut iura dabitis,
Votiſq; diſcetis hominum ſuccurrere.
Spreti ſolo, cælo quidem emicabitis,
Triſtitia vobis veſtra vertet gaudio:
Per varia curſus tenendus eſt diſcrimina,
Nec facilem in aſtra voluit eſſe pater viam,
Qui poſuit arduo ardua in cacumine,
Acuiq; iuſſit pectora hominum laboribus:
Verum quibus nil egeat, hinc tantum aucupans
Remetiendi occaſiones offici.
Quàm vile corpus debet eſſe his, qui petunt
Talia? quàm nihil eſt hic adeo graue, vt leue,
(Si fata fatis rependitis contraria)
Non debeat videri, ac ferri deniq;,
Ob conſequendam illam beatitudinem,
Animis inæſtimabilem mortalium?
Quæ ſi videretur oculis, mirabili
Exquireretur affectu, vt nihil magis.
Inite vetere cum colubro prælium,
Qui nuſquam non vobis inſidit peruigil:
In tollentem iras, & tumentem ſibila

Colla,ardentem oculis capite robora,capite
Saxa & gyrantem deijcite ictibus, graues
Timet fugantes, fugat timentes, & premit.
Ecce medios vos, vt oues, educo in lupos,
Quos longa cæcos ventris rabies exigit.
Cauti eſte vt angues, vt columbæ ſimplices
Mitéſq; corde, faſtus omnis ſit procul.
Quis iam beatos eſſe plus ſatis neget,
Qui ſpiritu ipſo pauperes, nil ambiunt,
Frenóſq; cupiditatibus premunt ſuis,
Infráq; cunctos ſe eſſe mortales putant?
Nõ alta prẽdũt, quanq̃ & hoc alta prẽdere eſt,
Quò celſa tranſmittunt poli faſtigia.
Nónne & beatos iure prædicabimus
Qui nunquam acerbioribus animis deſæuiunt,
Nunquámq; deijciuntur à gradu conſtantiæ?
Quibus aliena non poteſt iniquitas
Exuiſſe, quam ſemel induêre modeſtiam,
Quíve his in vmbris miſeriam agnoſcũt ſuam,
Suíq; iudices futura lacbrymis
Supplicia deprecantur, fletúq; redimunt.
Qui nec ſtruunt, nec ſtrui ſinunt calumniam,
At cuncta iure & æquitate dirigi,
Nullum vt cibum, potúmve auidius expetant:
Pij pium experientur, & facilem deum,
Quíq; ſceleribus animũ omnibus mundauerint,
Aut arbitri diſcordiæ interceſſerint.
O quàm beati iudicandi, qui mea

Quiq; cauſa perſequutores ferent,
Quiq; patientur verba, ſimul & verbera.
Iam digna factis reſpondebunt omnia,
Vincéntq; pœnas ſtata quondam præmia,
Huiuſce pugnæ cælum honores aſſerit.
Redire ſed iuuat vnde digreſſi ſumus.
Quò fata vos trahunt, retrahúntq;, ſequamini:
Durate, nec malis tot ingruentibus
Cedite, patris regnum paratur viribus,
Nec niſi feroces illud inuadunt viri,
Nec illuc impediti greſſus inferunt,
Aluúmve qui latam trahunt: ſed ſimplices,
Nudi, atq; longa obeſi corpus inedia.
Proinde ne vos commeatu in craſtinum,
Nec torre, nec duabus onerate veſtibus.
Calle itur anguſto ad ſalutis atrium,
Panduntur exitij ore vaſto ianuæ.
Ponite metum. omnibus adeo præſens locis:
Nec vos relinquam rerum egenos, pellite
Curam hác, labor meců iſte erit, ne vos fames,
Ne frigus vrat. pluris eſtis vos patri
Quàm cæli volucres: quas tamẽ largè educat,
Quámq; alba agri, quæ veſtit apte, lilia.
Abijcite curarum onera, ſic alacrius
Quò ſacra ducet, ibitis ſapientia.
Iam prima cæli cura vos inceſſerit,
Vt omne poſthac militetur prælium
Mercedis in ſpem talis, atq; gloriæ,

Palmam omnia hanc ſequentur, & victoriam.
Vobis licebit eſſe victu facillimis.
Quàm pauper eſt, quod deeſt, ſẽper expetit?
Quàm diues eſt, nil, quod vltra optet, videt?
Beatior, cui ſit nimis, quod eſt ſatis.
Quicquid meo meum petetis nomine
Apud patrem, nil hæſitantes, protinus
Vobis abundanter ſufficiet omnia.
Quaſcunq; vos ſubire continget domos,
Primum ſalutem precemini incolentibus
Pacémq;: quam ſi reſpuunt, ad vos, velut
Sagitta miſſa in proximam cautem, redit:
Verum ſimul reſpuite eorum munera,
Nil capite, quin excutite vel lutum hic pedum
Si quod ſuperſit, commigrantes ad alios,
Quibus futura eſt veſtra pax acceptior.
Captare menſas non niſi hic parabiles
Decet, ſuperſtitione vel faſtidio
Nil reiectetis. quæ adparantur, ſumite,
Nec erubeſcatis. eſtis digni munere
Vel ampliore, æterna qui pro terreis
Reponitis, ſuum labori præmium eſt.
Videte in omnibus vt ipſi conuiuijs
(Quibus adhibetur inops, quàm diues, rectius
Satiúſq;. cultus quippe diuitum eſt grauis)
Vobis locum occupetis ſemper. vltimum
Cui nullus inuidebit accumbentium,
Pudor ſuperbum, humilem manebit gloria.

Attenta vobis vita ſit ſemper,ſine
Qua facere,ſed nec cogitare commode
Nihil datur,mentis magiſtra totius.
Cauete ne ciborum repleamini,
Vinóq;,quod clauo caret,obruamini.
Modum neceſſitate,non libidine
Ventri,gulæq; finientes improbæ.
Supplicia ſingulis parantur ſingula
Sceleribus.at gulam manent vnam omnia,
Nec tam diu eſt intemperans,quàm perit diu
Corpore retentus,non ſecus quàm carcere.
Si carnis impotentiam abſtinentia
Domabitis, cauete vultu prodere,
Quin hilarè perducatis vnguento caput,
Abluite vultum,nihilq; non agere aliud
Quàm quod agitis tunc omnibus videamini.
Quæ quis facit,& omnia refert ad gloriam,
Quid eſt quod hanc adeptus,exigat amplius?
Nec plectitur bis, nec reponitur deo.
Dum orabitis,ne multa ineptè cõplectamini
Rumoris auras colligentes publici,
Sed inſcij domi,deúſq; qui omnia
Audit ſatis vidétq;,dignus inſuper
Qui cum micetis nocte,vel cæciſſima,
Vos clarius,quò ſecretius,exaudiet.
Vos ubi petenti nonnihil partimini,
(Nulli autem eleemoſynam in vobis claudite,
Seu diues ille,ſeu ſiet rerum indigus,

Modo petat, artis miſericordia inſcia eſt)
Quid dextra fecerit, ſiniſtra neſciat.
Veruntamen non ſic latentes, gloriam
Spernatis, vt labamini in ſocordiam,
Nil niſi clam audentes, at medijs in millibus
Virtute maſcula viros vos tollite,
Clarámque veſtra lucem dent funalia,
Veſtríque lychni pendeant laquearibus,
Vt qui ſubibunt luce vincente tenebras,
Et cuncta luſtrent, & ſuos regant gradus,
Luménque mentis veſtræ admirantes, deum
Huiuſce promum ſuſpicient ſapientiæ.
Si forſitan veſtris negabitur fides,
(Ne me putate legem velle refigere,
Cui vel corollarium magis veni addere)
Dictis nefas in hoc vocare numina,
Nec hic poli ſidera, nec hic ſpirabile
Teſtemini conuexi lumen ætheris.
Satis ſupérque ſit dicere, quod res erit.
Nec facta dictis diſcrepent, qui ſciuerit.
Qui docuerit, nec fecerit, minimus erit
In maximo, quod imminet, regno dei:
Sciúſque plures, quàm inſcius, pœnas dabit.
Pro præſtita quiſque ſatagat pecunia.
Talenta ne defodite terræ credita.
Cui creditur magis, is obæratur magis.
Vobis in aurē quæ loquutus ſum, palam
Omnia ſub auras ferte: nec dignemini

(Ne vos quam euangelio moram moſimini)
Quenquam ſalute tranſeuntes per viam.
Nec quid loquamini, anxie ſcrutemini,
Cum verba erunt vobis habenda ad preſides,
Regéſq́: vobis ſuggerentur omnia,
Et imparatis larga creſcet copia,
Mentémq́ & ora veris implebimini,
Nec auſtros floribus, nec apros fontibus
Immittite: nec ante immundos proſternite
Margaritas proſubacturos pedibus ſues:
Nefas heu iam nefas eſt canibus obijci
Sacra hæc: ſues vocamus hos, qui ſordidis
Opibus atq́ adeo opum illecebris incubant,
Ibiq́ mentem, vbi & ſuas habent opes.
Nec aliter hinc, quàm è luto ſues diuellier
Amant, quibus odio ſit & formidini
Euangelica pauperies & frugalitas.
Porrò canes, qui ſubodorantur omnia,
Prędã hãc ſequẽtes perpetim quã excinerint,
Sunt rhetores, poetæ, & cætera id genus
Gloriæ animalia: qui ſtudijs capti ſuis.
Illis inemoriuntur, à vita magis
(Ne iam prius fuiſſe in errore pateant)
Quàm opinione ab inſita diſceſſerint.
Qui, ſi his euangelica offeratur lenitas,
Guſtu inde facto, hanc nauſeabundi expuunt:
Hanc inuidi rodunt, laceràntq́ mordicus,
In ipſam & ipſius aſſertores inuehunt,

Blandiuntur alijs, illos quò inde diſtrahant:
Minantur alijs, illos quò inde terreant,
Huiuſmodi arcete procul à myſterijs,
Doctrina quibus hæc exitio cumulabitur.
Certamen inter vos honoris non ſiet:
Maior erit inter vos, qui humilius ſe geret,
Iā vos, moréſq; veſtros paruuli inſtar fingite.
Nulli dolum innectit puer, non inuidet,
Non detrahit, non lædit: & ſi læditur
Remittit, obliuiſcitúrq; faciliime.
Non pallet auri amore, non luxu calet:
Petit neceſſa, quæ ſuperſunt, negligit.
Ambire non nouit, nec vlli adularier:
Aliena non rapit, ſua exponit omnibus.
In aſtra qui curſum tenet, teneat ſimul
Viam hanc neceſſe eſt, aliter aditu arcebitur.
Neu fugite, neu obijcite caput periculis:
Si veſtis aufertur, date & vos pallium.
Si quis ſiniſtræ impegerit manum genæ,
Porgite, nec exeatis ictum, dexteram:
Hoſti nec vllum talionem reddite:
Sed, ſolis inſtar, æqui eſte bonis ac malis.
Si quapiam re vos habet frater malè
Mentémq;, vel dum parabitis ſacrum, ſubit
Diſcordiæ: relinquite ad aras victimam,
Ne qua in honore dei occurrat hoſtica facies,
Nec iras ſinite longius procedere:
Ite, reſarcite læſam beneuolentiam,

Donec fatiſcens coeat arcte gratia,
Qua nullum ſacrificium deo eſt acceptius.
Qui nec remittit vobis, niſi remittitis:
Pondúſq; idem ſperate, quo alij penditis.
Quæ quiſq; fecerit eadem expectauerit.
Reddite velim veſtris vicem parentibus.
Nullóq; dignos non honore ducite.
Nudis togam, cibum famelicis date:
Quod his datur munus, deo corraditur.
Furto manum abſtinete, partem ponere
Iuſſi omnibus, nec veſtra paſſim lumina
Conijcite: qui foris videndo paſcitur,
Mœchatur intus, & voluntas plectitur,
Licet voluptas non ſequatur: cautio
Adhibenda vobis maxima eſt, ne huiuſmodi
Irretiamini illecebris, fœminæ
Superbia incendit, facilitas pellicit,
Pœnam grauem leuis voluptas irrogat,
Ferro ſalacem meſſuere plurimi
Virum, ac amore cæli, amorem fœminæ
Sprenere: libera, at grata deo eſt caſtitas.
Sunt continentiæ premendi cingulo
Lumbi, magis quàm vlla ſecandi nouacula,
Non paruum habebit difficultas præmium,
Pater gregis viros ab hœdis ſeliget.
Claudite oculos, moneo, feneſtras pectoris
Mentíſq; ianuam; quibus cupido ea
Inuadit intrò, quæ nihil non occupat

Optando, quàm fruendo inexplebilis magis:
Illis quidem lux aut tenebræ corpori
Toti immittuntur, continentes ſi ſient,
Et continens erit corpus: ſi perfluent,
Et perfluet corpus cunctis obnoxium
Late vagantis animi cupiditatibus.
Nec veſtigate oculis quod reperiſſe eſt nefas.
Tædas iugales, cui vxor nupſerit ſemel,
Eáq; ſuperſit neſcia alterius viri,
Extingat nemo: nempe quas deus excijt
Pugnantibus rerum vndis immerſabiles.
  Sum vera vitis, eſtis & vos palmites.
Abſciſſus à nitente palmes ſtipite
Areſcit, ac nullū hinc dabit fructū. haud ſecus
Quàm palmites, vos promouere me ſine
Credite: manete in me, ac ego in vobis ero.
Conatus omnis me ſine eſt fruſtra, & labor.
Nec vllus vnquam celſum olympi verticem
Superabit aſcenſu, niſi & tendat manum,
Et adiuuet trahátq; nitentem pater.
At huius in vobis ſtat omnis benignitas,
Et cura, vóſq; voce magna omnis vocat,
Offértq; ſeſe, & pandit vltrò brachia.
Dominū hunc potentē humili prece ſuperabitis
Votis feretis omne quod vocabitis.
  Vt qui ſoli ſcindendi terga ſuſcitat,
Stiuámq; quæ currus à tergo torqueat
Tenet, retro ſi flectit lumina, haud poteſt

Arvo imperare, & rectos ſulcos ducere,
Sic, qui ſpei oblitus, adeóque maximi
Pertæſus cœpti miſeram inter cupidinem
Præſentis vitæ, & regna cæli vocantia,
Amore rerum, quas ſemel reliquerit,
Adhuc tenetur, háſque à tergo reſpicit
Metuens periculi, huic petenda miſſio,
Nimirum inepto, qui recta in cælum inferat
Signa, nec alit dignos olympo ſpiritus,
Qui velut canis ad vomitum, viã converterit.
Iam ſinite mortui parentent mortuis,
Soluántque iuſta: vos ne ſuperſtitum quidem
Cura avocemini cœptis ingentibus:
Qui non à me ſtat, hoſtem hunc indico meum.
Qui ſella conſidere gemina nititur
Demens, vtraque excluditur ſæpiſſime:
Seruire ſic heris duobus qui volet,
Nullum ædepol vtrinque præmium feret.
Quàm nil agunt, qui mãmonæ & deo ambigũt?
Quod qui putat ſe conſequi, ſe conſequi
Simul putet cum inſania prudentiam.
Hic totius pacis, quietis, gaudij eſt
Dator: ille belli, laboris & luctus ſator.
Quiſquis animæ hic timet ſuæ, perdit magis
Quàm parcit: at qui prodigit, ne perdere
Putet: repertam olim curabit huic pater,
Dabítque quod nulla emi ſatis anima queat.
Quippe huic ſupremi parte cæli ceſſerit,

Delapſus huc cælo, ignem in orbē immittere
Veni: nec aliud, quàm quòd ardeat, volo,
Et cuncta ſecum leuis in altum petrahat,
Siccóſq; plures faciat, atq; feruidos,
Et ad ferenda duret infortunia,
Et luſtret omneis cordis humani ſinus,
Cæcáque relaxet pectoris ſpiracula,
Qua penetret alti indomitus ætheris calor,
Ni magis hiantes vt premat venas, ne aquam
Sæui huius & furentis accipiat maris.
Nec vlla iungere veni pacis fœdera,
Quin bellū, & odia pluſquā inteſtina ferimus:
Facimúſque mutuo vt caro atque ſpiritus
Seſe oderint, atque inuicem bellum gerant.
Vis tamen intēdenda omnis, vt victor animus
Sit ſemper, ſpolia referat, hoſti vincula
(Que, vt tēpus erit agi res, laxet, aut premat)
Inijciat, mores ponat, parêre doceat.
Vtatur inſuper vt decet, victoria,
Donec volens ac victa ſe demiſerit,
Legéſque, quas victor fixerit, acceperit:
Quæ niſi iugo ſubacta paret, imperat.
Ratione item frenanda, velut repagulis
Mens. nanq; ſi quandiu intus iram parturit,
Conſilij illi vis mulctáq; irrogabitur.
Quòd ſi dolore preſſa quicquam eiecerit,
Atq; inde tenuis halitus ſe effuderit,
Quo vel puſilla labes cuiquam aſpergitur,

Tenebitur: fiétq́ꝫ iudicij rea,
Tergóq́ꝫ pendetur non lenis iam noxia.
Quòd ſi incubuerit, ac ſuperfœtauerit,
Hincq́ꝫ effluat virus hippomane nocentius,
Intercidántq́ꝫ verba non innoxia,
Nec inſtar aquilæ, quæ calore ne ſuo
Oua excoquat, ſupponit aluo gagaten,
Adhibuerit calori temperantiam:
Capitis ſubibit imminens periculum
Gehennæ, vteriq́ꝫ agetur male ſati rea.
Quod quiſq́ꝫ facit ira, hoc idem infectũ volet:
Non facere, quàm olim pœnitere, ſit prius.
Leges nouas, ſed ſanctiores veteribus
Scimus, meus qui futurus es, cape has memor.
Te fac meum primum, tibi linquas nihil:
Imò neges tibi te, & crucem tollas tuam
Diſpendi in hanc paratus. ergo mei ipſius
Extrema qui cupis, etiam extrema audeas,
Bonúmq́ꝫ rebus pectus opponas malis:
Me ſequere per tot, vt ducem diſcrimina.
Patrem tuum, tuámq́ꝫ matrem, & liberos,
(Nec dignus eſt me, illos mihi qui præferet)
Pecuniam, agros, præ me nihili ducito:
Quilibet iniquè aut quærit, aut quæſta occupat.
Quã prudẽter agit, q̃ hõies, deũq́ꝫ his fœnerat.
Quid orbis vniuerſæ proderunt opes,
Si pateris animæ infelix iacturam tuæ?
Rudens acum, quàm dis polum, intrat ocyus.

Probat ſuo nunc diues ille incommodo,
Quid byſſus, & quid tincta lena murice,
Et apparatu faciat vnctum regio,
Luxúſque, nulla cui quietem daret dies.
Fidere decet, prima hæc ſalutis eſt via,
Fide, & nihil non erit tuo ſub numine.
Vel ſi emoueri ſede montem iuſſeris,
Repentè, dictóque citius mouerier
(Tanta fidei eſt vis ac poteſtas) videris.
Nec vllus vnquam celſa tanget ſidera,
Ni crimina prius viuo eluerit flumine,
(Ea quippe prima cuique ſunt piacula)
Labéſque circumlatus auræ igne ſimplicis
Exemerit, ſenſúmque purum liquerit,
Veterémque mire nouus hominẽ homo emouerit,
Viréſque myſtico nouauerit cibo:
Quo qui minime erit vſus, aut abuſus pabulo,
Delinquet haud minus, quàm ſi me proderet.
At rite qui ſe hoc commeatu, vt ſymbolo
Munierit, facile arcem huic pater cæli annuet,
Dabitque diuûm epulis æternum accumbere.
Si te manus, ſi te impedit pes, vel oculus:
Scindito manum, abijcito pedem, fodito oculum.
Te ſatius etenim eſt altero claudum pede,
Truncum manu, reſignatóque altero oculo,
Te ſatius inquam, alto ita polo ſuccedere,
Quàm vultu inſignẽ, & omnibus validũ artubus
Explodier, miſerum, gehennam in igneam.

Te dona nulla, obſequia nulla, charitas
Nulla, à mea vſquam charitate ſeparent.
Amandus eſt tibi ille qui vel te oderit,
Vel læſerit etiam. hunc magis ſuperaueris
Beneficio, quàm armis. nam vt malum bono
Rependis, illius ſuper caput inijcis
Prunas, quibus vitium omne maleuolentiæ
Excoquitur, atq; exudat humor inutilis.
Quòd ſi ire ſecum te iubet ſtadium, i duo:
Compone lites obiter, & paciſcere
Cum parte, cui vel dixeris iuſte dicam:
Incertus aleæ fori, ne calculum tibi
Atrum feras pro albo, vt fere fit, & cadas
Cauſa, ac deinde manciperis carceri,
Quo haud eximêris, quin prius decoxeris,
Nec non ſupremum exolueris teruncium.
Abs te procul ſit omnis iracundia,
Vt ne vultu quidem vlceretur charitas.
Omneis laceſſitus vices vitaueris.
Nil tam graue eſt, quod non leuet patientia.
Quod vni dico, quiſq; ſibi dictum putet,
Pro ſe quiſq; viri vigiles mentem attendite,
Semper parati fata præſtolemini,
Spe incerti dubia, an primo ab ortu tempore
Meliórne cum vires dabit ſanguis, an graui
Senecta erit vobis migrandum è corpore.
Nam quod vireſcit, ſequente fœnum poſt die
Areſcit: ac in ignem ſiccum mittitur.

Iam vos deũ fandi ac nefandi eſſe memorẽ
Sperate: qui iuſtis æquabit partibus
Operum laborem. qui ſic ſe comparauerit
Vt omnis exortem reatus ſpiritum
Reddat deo, reddet viciſſim præmium
Deus (nec vana fides) inæſtimabile:
Qui vero ſecus inſtituerit vitam ſuam,
Adigetur ad ignes, ignes herebi perpetes.
Ibi fletus erit, ac ſtridor molarium.
Peccare ſic nefas, quia hinc pretium eſt mori,
Æterna pœna, æterna ſunt vt præmia.
Et meliora moniti ſequi dubitabitis?
Nec facinorum ſperetis vlla vmbracula,
Lux alta fati nil ſinet caligine
Mergi, ſub auras proferentur omnia
Partem videnda in omnem, & expoſita oculis.
Accipite hæc animis, medq; dicta figite.
Quæ mihi pater, ego pando vobis omnia,
Et ſcita magno noſtra habete in munere.
Cauete dona negligatis talia.
Dabitur habenti: non habenti, ſi datum eſt
Quicq̃, auferetur: quod dedi, & quod non dedi
Eripere fas mihi. meto quæ non ſemino.
Nec noſtra mandentur notis oracula,
Quæ quo magis latent, ea magis exhibent
Luciſq; veritatiſq; remotiſſimæ,
Quibus oculus animi, his tenebris liber eſt.
Lux eſtis mundi, luceatis cæteris:

Sal eſtis terræ, condiatis cæteros.
Occulta lux, fatuus ſal, vlli haud vſui eſt.
Vnum illud ô amici, & vnum præ omnibus
Iterum iterúmq; monebo, vos rogans ſimul
Et imperans, vt diligatis inuicem,
Perinde dilexiſſe me vt vos cernitis:
Nec ferre amoris certius pignus mei
Vobis dare eſt, q̃ quòd animam hanc effundere
Vltrò ſumus veſtra parati gratia.
Vultisne vt vno quaſi faſce colligā omnia?
Se ſumma legis gemino hoc vertit cardine.
Veneremini in primis deum: hunc præcordijs
Accipite totis, nunquam excutite pectore:
Sit ille vobis, ſit ille inquam ſemper deus,
Nulli hunc ſecundum habete: deinde proximum
Iuxtà ac vos, beneuolentia amplexemini:
Quæ non tibi negas, nec illi negaueris:
Quæ non tibi indulges, nec illi indulſeris,
Animámq; plus quàm carnē, vtranq; maxime
Amato: neutra quicquam à te fruſtra exigat
Quod ad bene beatéq; agendum pertinet.
Hoc inſuper tanquam colophonem inferam,
Si cuncta ad vnguem rectéq; exequamini,
Seruos tamen vos eſſe dicite inutiles:
Nec feceritis præmij hinc diſpendium,
Nec hæc in auras fundite, quæ præſcripſimus,
Qui principia finéſq; rebus omnibus
Præſcripſimus: nec iam futurum Meſſiam

Speretis alium.qaem ſi quiſquam dixerit
Veniſſe,neu credite: ſed ne foras quidem
Prodite viſuri ſtata ſemel fide,
Tantiſq; rerum firmata miraculis,
Quæ paria mecum nemo fecit hactenus.
Dictum arroganter non velim hoc putarier,
Iure meo,ſi id aſſumo mihi,facere videor:
Quippe cuius voce ſola dæmon inuidus
Et febris æſtuans, lepra vrens,pigritans
Paralyſis in ventos fugatæ abiuerint.
Centurionis abſens verna conualet:
Natúſq; matri charus,vtpote vnicus,
Foras iam elatus illico expergiſcitur:
Suúmq; recipit vſum manus inutilis,
Nec non remiſſæ plurimis ſunt noxiæ,
Noſtriſq; verbis ſuſcitatus Lazarus.
Genua trahentes ægra confirmauimus,
Nec latuit olim noſtra vos ſublimitas,
Siccis aquas tranauimus veſtigijs,
Dictóq; citius mare reſedit,& notus,
Et dæmonum omnis in ſues verſa legio eſt.
Hæmorrhois concluſa,myſtæ filia
Eſt reſtituta patri. quinq; panibus,
Piſcibus duobus,& his quidem minutulis,
Expleta quiq; hominum fuere millia,
Pluráq; ſuperfuerunt longè traditis.
Sanatur expilata medicis fœmina,
Laxatus hydrops,& decem exuti malam

Scabiem, viantis lumen oculis redditum eſt.
Qui ſe in ignē & aquā agebat, ſolutus eſt puer.
Veſtiſq; tactu haud dubia virtus exijt,
Diúq; muti fracta ſunt ſilentia.
A ſtirpe iuſſa ſubito ficus aruit.
Nec hic iuuat vacátve complecti omnia,
Nec cuncta nūc ad m la ab ouo perſequar,
Veh conſcijs miraculorum & numinis,
Qui præter animi ſe obfirmant ſententiam,
Nec acquieſcūt, quæ haud dubitanda nouerint?
Nullo eluetur impudens die nefas,
Superſtites manet atq; caſſos lumine.
Dixi hæc monendi, haud gloriandi gratia,
Nec gloriam venatus vnquam ſum meam,
Sed ipſius, demiſit huc qui me, patris,
Cuius ego virtus magna ſum, & potentia.
Qui cōſpicit natum, & parentem conſpicit:
Siquidē pater manet in me, ego ſimul in patre.
Id non ſecus, ſi modo vlla comparatió eſt,
Quàm fomite ignis, igne lux proceſſerit.
Fomes pater, natus ignis, lux eſt ſpiritus;
Tres inuicem ſeſe vno miſcent numine,
Omnia tria vnum ſunt, tria eſt vnum omnia,
Tribus vna maieſtas, & æqua gloria,
Diuinitas eadem, ſimilis eſſentia.
Iámq; ſuperauimus viæ multum. ecce adeſt,
Intremus hortum. Heu quanta concitabitur
Hac nocte turba: vos, vt aſpecto ſacro

Alite columbas, palantes aget metus.
Hæc dudum cecinit actus vates numine,
Paſtore cæſo late erraturas oues.
Hic ſtate, dum illuc eo rogaturus patrem.
Bar Iona, vóſq; Zebedæigenæ, quibus
Credita fides ſit omnium, quæ geſſimus,
Alijs relictis, accedite propinquius:
Vt qui fuiſtis olim teſtes gloriæ,
Sitis ſimul triſtitiæ conſcij meæ.
Heu quantus horrorquanta me moleſtia
Inuadit. anima triſtis eſt mea ad exitum
Vſque. agite, prouidete, mentem aduertite:
Votis petatis vlla ne tentatio
Mētē intret. īfirma eſt caro, prōptus animus.
Sed hinc eo, quantum iaci poteſt lapis,
Ibique pronus tertio affabor partem.
Pater, meæ vires, pater, potes omnia:
Miſerere nati dura timentis (ſi ſinit
Fati tui ordo) nanque mortis ſic metus
Cogit me in omnes nunc preces deſcendere:
Si qua eſt adhuc pietas, fuitve olim tibi
Quicquā dulce meum, tranſeat quæſo calix
A me iſte: verum ſi bibendum præcipis,
In me tibi quicquid lubet, pater, licet.
Sed ô dolor dolor, quémne hominum atrocia
Quæ mente mecum perago, non exterreant
Tormenta? an vſq;, an vſq; nunc geris pater
Meo labore pectus inſaturabile,

Dolore nunquam non prius meo dolens?
O mortis horror morte quauis durior,
O morte quauis grauior ignominia.
Sed nuntium cæli propinquantem intuor,
Salue dei interpres benigne. Ang. tu ſimul.
Salue voluntas, & voluptas vnica
Chriſte patris, ad quē ſummo olympi è culmine
Iuſſus viam carpſi: vt velut deum colam,
Hominémq; verum ſoler, humana omnia
Humanitus ferentem, & alto territum
Mortis metu. hem quò nūc receſſit pectoris
Vis illa præſens, qua genus mortalium
Sanguine redimere olim ſpopondiſti tuo?
An quos frequens ad fortitudinem erudis
Conſtantiámq;, iſto trahi exemplo putas
Ad negligenda, quæ imminent, diſcrimina?
An morte terreris malorum termino?
Deſpondéſq; animum, & deſerit te gloria
Harumce rerum? nec polum ſpe præcipis?
Pleriſq; longè inferior hoc mortalibus,
Qui ſponte vitam finierunt, neſcij
Quò fata ferrent: tu futuri præſcius,
Securus otij & beatitudinis
Tempus moraris? fata iamiam deſine
Sperare flecti prece: metū hūc mente excute,
Reuoca animū, hic exantlandus eſt tibi labor,
Ch. Tā vera dicis, quàm iubes dura angele.
Heu quantus hos ſudor per artus effluit,

Ecce ſanguie, ecce & aqua rubēs humus madet.
At tertium reuiſendi ſunt mihi mei
Membra ſomno victi, & nimia mœſtitudine
Qui neſcient quid vel agāt, vel reſpondeant:
Verum increpabo vt excitentur promptius.
Dormiſne gens dei, tanto in diſcrimine?
Non vnam potuiſtis horam mecum ducere
Vigilando? nunc veſtro, vt lubet, quieſcite
Arbitrio, iam inſtat hora, venio in hoſtium
Manus. hem Iudas minimè ſtertit impiger
Me proditurus in necem mei & ſui,
Nimis nimiſq; oblitus inſtat proximè.
Surgite, & eamus vltrò venienti obuiam

Secundus Actus.

CHRISTVS, IVDAS, PETRUS, Chorus, Diſcipuli.

IVDAS.

Il cæperis, quod fine nō claudas ſuo,
n Stat rē malā, peiúsq; cęptā, gnauiter
Tamē exequi, quo iure quáve iniuria
Vlciſc ar ereptum meis è faucibus
Bolum. ah mihi quantū hæc dolet profuſio?
Vncti pedes, myrrhaq; perfuſum caput.
Sanguine reponent. vos ſequemini ducem

Me veſites,gnarum viæ,loci,& viri.
Heus heus miniſtri qui faces,qui cornibus
Præfertis ignem,iſtac iter deflectite
Vicinum ad hortū, quē aluit torrens Cedrôn,
Secedit illuc cum grege homo ſuo frequens.
Ne neſciatis,præmonere vos velim,
Vt cui oſculum libauero(quippe ibi duo
Simili ore,magnitudine nihil diſpari
Seſe offerent)hunc vos tenete,ducite
Caute,tenis poſt terga vinctum arctis:viri
Cauete.nam illum dudum euntem vidimus
Turbam per ipſam nemini mortalium
Nec cognitum,nec hercules viſum.ſe ita
Subducit,vt manus ſequentium exeat.
Illi ego ſalutans implicabo brachia:
Sub hæc,virū occupate,humeris incumbite,
Durámq; vim intendite.ſed eccum,non,ita,
Certe ipſus eſt,ſe ſponte nobis obtulit,
Animiq; fidens prodit obuiam,ô noua
Facies mihi.prò quantus in vultu deus?
Horreſco,dentes pruriunt formidine.
Ch.Quò nūc iter tenetis,aut quē hoc tēporis
Quæritis?Iud.Ieſum Nazarenum quærimus.
Ieſ.Sum vero Ieſus,quid tenebris poſcitis
Velut latentem,quem nec ipſo cernere
Die vel alto,ni velim,ſit copia?
In me quid arma fertis,ad cuius quidem
Vocem repente ſic terremini?hem velut

Poti, aut adacti fulgurum ventis, retro
Labamini? impotentiam non agnoſcitis?
Quem quæritis, rogo? Cho. tibi iam diximus,
Quærimus Ieſū. Chr. Ieſus adſum. Iud. ô optime
Aue magiſter, da te in amplexus mihi,
Nec ſubtrahas ori os, libes mihi oſculum.
Chr. Immane, quid prætexis oſculo nefas?
Quid huc venis Iuda? quid hinc tibi petis?
Si amicus es, quid arma? ſi hoſtis quid oſculum?
Nec hic negaro, hoc me licet prodi ſciam,
Sed mitte in aurē hæc dicta: te exortē quidem
Huius fuiſſe præſtitiſſet luminis,
Quàm hoc ſperaſſe nefas, atq; ſperato inſuper
Potitum. at quid non cogit auri ſacra fames?
Eritq; tēpus, quo me magno emptum voles
Intactum, nummóſq; iſtos, & diem oderis.
At vos quæ verſat principes inſania?
Me nunc velut furem in tenebris quæritis,
Nec id ſecundis optimatibus licet,
Quem luce clara concionantem antea
Vidiſtis in templo frequentius, quid hic
Captum non capiebatis? ipſam conſcij
Lucem timetis? Diſc. ò indignum flagitium?
Sic te magiſter inulti patiemur trahi?
Siniſne vindicaturos iniuriam
Decernere ferro? Chr. ſinite, deóq; cedite.
Pet. Amor arma miniſtrat, tu ī magiſtrū carni
Meū adferes manus? pœnas dabis īprobe [ſex

Mihi pro ſcelere tanto,& auſis talibus,
Petriq́ quid poſſit manus, iam ſenties.
Chr. Ecquis Petre iras has tibi excitat furor?
Nequicquã mihi tot ad ferendam iniuriam
Sermonibus, factiſq́ docte ſæpius.
Num me ſinis morem vt meo geram patri?
Explere fas eſt cuncta de me oracula.
Enſem reconde,& redde vaginæ: neq́
Res defenſores tanta poſtulat manus.
Quæ feceris, ſpera: enſe qui cædet, cadet.
An te fugit, quòd ſi rogauero patrem,
Excercitum conſcribet auxiliarium?
Quorum vnus, his ſit omnibus potentior.
At Malche adeſdum: aurem tibi reddo, tace.
Cho. Nil hoc mouebis, vinciere ſubdole.
Chr. Vos nil moror, iamiam trahi,& trudi ſino
Me, quò lubet: ſed quos mihi dedit pater,
Tutos velim: nec quenquam eorum perditum
Par eſt: abire ſinite, quò videbitur.
Cho. Quid iã ſinemus? hoc labore nos leuant,
Hem ſimiles nymbo & huc,& illuc perpetes
Feruntur, illiſq́ timor alas addidit.
Elapſus hinc vnus reliquit ſydonem.

IO A N N E S, P E T R V S, D V AE
ancillæ, Cognatus, Chorus.

I O A N N E S.

Vo me ille tāto, quo illum ego ample-
q *xus ſum, amor*
Minus quidē mentē ſinit ſubſiſtere:
Quin & ſimul cum veſte vitam prodigam,
Vt, quem aliter haud datur, ſeuem præſentia.
Ibo ego, ſequámq; qua licet, veſtigia
Per tenebras. Pe. comitē huiuſce me viæ cape.
Ventoſæ heri quantus fuit linguæ vigor,
Tantus nunc accendit animum fugæ pudor,
Vt ſúſque déq; omnia feram pericula.
Io. Méne eſt cupido extrema tentantē ſequi?
Pet. Quà ducis, adſum, me trahas in omnia
Tecum, relicto hoc, vita, vita non mihi eſt.
Io. Eamus ergo, te adplica lateri meo, at
Cum voce comprimas pedem, ſtáq; auribus
Arrectis, ſonus hauritur Annæ ex ædibus,
Qui ſuam ſacerdotum inganit principi
Natam. bene eſt, huic quippe ſum notiſſimus
A puero. expecta hic, dum ſcio rerum ſtatus
Qui ſit, ſubibo domū. Pet. metus me denuò
Inuadit, ac intus mihi ſanguis coit,
Me lux, me tenebræ, me ſonus, me ſilentia,
Me ſolitudo, me concurſus, me omnia

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Terrent,& egomet ſum mihi formidini.
Io. Heus heus Petre. Pet. quiſnam me vocat?
Io. Petre huc ades.
Huic intro quæſo liceat ingredi ô Syra.
Sy. Licet. ſed quid hominis, dic ô lepidũ caput?
Túne ex miniſtris hominis vnus iſtius
Es?& es quidem. nam te frequenter illius
Cingentem galilæi latera vidimus.
Pet. Qui fit miniſter hominis vt ſiem iſtius,
Quem noverim nuſquam: nec iã quid tibi velis
Scio, niſi ex me delicias tibi velis.
Io. Tace mea tu, ſine eat in atrium ad focum.

CHRISTVS, ANNAS, MALchus, Petrus.

ANNAS.

Nunc res mihi eſt cum homine omniũ aſtutiſſimo,
Et qui ſubobſcure, atq; perplexe loqui
Eſt ſemper viſus: aſtu ni hunc tractauero,
Nil promouero, minúſq; verum excalpſero.
In quo mihi admodum laborandum eſt parum.
Nam nos ſubornatis probamus teſtibus
Quicquid lubet, atq; etiã ſupra, ꝙ quod lubet.
Nam dum hi putant ſeſe illi, nobis detrahunt,
Eius vbi facta narrant, quæ abſq; gloria

Nequeunt referri. ſed iubebo illum mihi
Siſti, atq; caute compellabo ſubdolum.
Dic Chriſte, quo nam te relicto profugit
Cohors tuorum, quos inertes plurimis
Diebus educaſti, in hanc, vt par fuit,
Spem, vt & ſalutis & periculi forent
Conſortes? ò fidei iam nullius viros.
Quibus tot antè commodaueris modis,
Et plura te olim præſtiturum ſpoponderis.
Si conſequutus, quod tibi debet pater,
Regnum fuiſſes, atq; leges ſciueris,
Quæ libertatis aſſertrices, & iugum
Excuterent ſeruitutis huius Moſicæ,
Et abrogarent aniles has cerimonias,
Quibus tot irretimur annis ſubditi.
Ex te illas, ſi vacat, lubens audiuerim.
Ch. Nõ eſt ò Anna iam hic dicendi nec locus,
Nec tempus. ego ſemper loquutus ſum palam
Omnibus. & in templo patente ſingulis
Noſtri ſanguinis hominibus. hos interroga
Qui me audierunt, hi ſciunt quæ dixerim.
Malch. Tanta tibi generis eſt tui fiducia,
Vt tam impudenter auſis reſponſum dare
Sũmo põtifici? hẽ ſerua. Chr. Malche quid geng
Infringis colaphum? ſi loquutus ſum male
Aut hic, aut alibi, ferto teſtimonium:
Si porrò bene, qua me opprimis fiducia?
Támne odioſa erit, fuitq; veritas,

Ut & fateri tu, & fatentem negligas?
Cur me laceſſis? quid manu audes cædere?
An. Præſagiebat animus, id quod accidit.
Nanque veterator, vt ſuevit, nec nihil,
Nec omne dicit, deprehendi nec poteſt
Vnquam loquendo, firmus atq; interritus.
Mittã illũ ad Caiphã: qui huius anni pontifex
Dudum ſacerdotes coegit in atrium,
Omneis flagranteis hominis iſtius odio,
Cuique fuit illa pridem opinio, caput
Vnum decere plurimũm cauſa dari.
Faſce hoc me euoluam, illiq; gratum fecero.
Quare agite victũ hũc rapite, trahite, trudite.
Pe. Quocũq; amãdabitur, certũ eſt herum ſequi.
Cho. Malitia nulla tam mala eſt, quæ nõ adhuc
Plurimum adoleſcat inſtitutore improbo.
Ex peſſimis hic arte peiores facit.

SANGA, SANNIO, DROMO, Teſtes, Caiphas, Sacerdotes.

SANGA.

Vbeúntne quæ ſunt dicta vobis? oĩm
Meminiſtis? Teſt. hercle. Sang. memores eſſe vos decet,
Vt memoriam memoria præſens adiuuet,
Quam mentienti ſæpe tollit veritas.

Teſt. Illam excitat vinum, paritꝙ audaciam.
Sang. Cauete ſtulti, arcana vinum detegit.
Teſt. Vrget ſitis. *Sang.* bibetis inde largiter,
Et promiſſa numerabitur pecunia.
Teſt. Numerabitur? nõ nos ſpe ineſcabis, dato.
Sang. Fidem do. *Teſt.* bellum hui pignus, hoc ſerues, quibus
Ignotus es fide eſſe ſubleſtiſſima.
Sang. Vendidero ſpes meas omneis minus obolo.
Lites ſequi nolim, ſequendæ ſi forent.
Hic me magis reum eſſe, quàm actorem velim.
Dro. Oculis opu'ſt dextræ huic: ni videt, agit nihil:
Iſtudꝙ ſolum, hæc quod capit, credit manus.
Ere non ore opus eſt, numeres modò pecuniã,
Aut confles alios, quos voles, teſtes tibi.
Sang. Accipite, ea lege tamen, vt repoſcere
Sit fas, ſi rite, quæ diu inculcauimus,
Et expedite, & audacter ſimul,
(Vt non vlla tamen cupiditas appareat)
Coram eloquamini. ſed heus tu Sannio,
Timidus videris. *Sã.* ſũ quidẽ, vt qui maxime,
Sang. Poteſne colloqui cũ ſingulis? *San.* quidẽ.
Sang. Ex ſingulis eſt multitudo, deſine
Timere, tu Dromo ſuperſtitioſus es,
Et te vereri prædicas deum, quaſi
Hunc nolit impoſtorem acerbe plectier.
Dro. Deũ ita vereor, vt dæmonẽ tamen magis.
Sang. Iſtáne etiammum opinione duceris,

Vt eſſe ſuſpiceris vllos dæmones?
Duo. Ita hercules. Sã. Vah,ridiculũ nimis caput
Puero tibi falſò inijciebatur lupi
Metus,nunc,quia illo falli vltra minus potes
Vir factus,inuiſibiles fingunt dæmones,
Qui te,quàm puerũ lupi,inanius perterritet.
Si eſſet,iam hos auaritiæ effodiſſent cuniculi.
Sed ite intrò in atriũ,hem vocat vos põtifex.
Vultu laborate,ne qua ſuſpicio ſiet.

CHORVS SACERDOTVM, Teſtes,Caiphas,CHRISTVS.

CHORVS SACERDOTVM.

Ec hercules mendacium, nec veritas
„ Vllo ſatis poſſunt tegi velamine.
Quot iã,malũ, diebus & operã & oleũ
Perdimus,vt hos falſa doceamus fingere?
Aures eis vellendo pene euellimus:
Sed nec compoſito norunt vocem rumpere,
Nec plus cohærent horum teſtimonia,
Quàm diſſolutæ ſcopæ,vt in prouerbio eſt,
Conſentiúntq; obſtinatè ne conſentiant.
Quémq; ſuo premere teſtimonio volunt,
Malè conciliati impendio magis leuant.
Sed eccos perfrictæ frontis homines duos,
Multum quidem ſecundum faciem perperos,
Catóſq;,heus facite huc vos,boni viri,hũccine

Noviſtis hominem? Teſt. novimus quidẽ probè.
Cho. ſac. Quod nomen illi? Teſt. Chriſtus. Cho.
vnde? Teſt. non liquet,
Nec vt liqueret ocij tantum fuit,
Nec ſi fuiſſet, libuiſſet eò inſumere.
Fama tamen haud levis hunc galilæum aſſerit.
Vndecũq; eſt, ſuo patrieq; vitio eſt nequiſſimus.
Cho. Audiſtis cõcionantem? Teſt. frequentius.
Ca. Nil ſeditioſe, aut impie eſt viſus loqui?
Teſt. Plurima, ſed excidere nobis omnia
Hoc præter vnum, quòd templum hoc dei
Erueret, & ſolo cacumina æqua poneret
Verſurus ex imo: tribus veruntamen
Quod poſt diebus excitaret denuò,
Vel illo magnificentius. Ca. Iam nunc ſiles?
Nec vllum reſponſum paras, vt teſtium
Vel eleues fidem, vel crimen diluas?
Tu furcifer templum dei euertes? nihil
Habes, ſed quid habere potes quod reſpondeas
Monſtrũ hominis? age per alti, quẽ generis tui
Authorem dicis & patrem vocas, dei
Te numen adiuro, vt mihi nunc diſſeras,
Si genus olympo trahis, & vini filius
Dei es? Chr. talem vos me eſſe dicitis: neq;
Negaro, quippe ſum. Ca. prò deûm atq; homi-
num fidem.
O impudentiam hominis? ò nefarium,
Et non ferendum crimen? quid adhuc teſtibus

Egemus? hem fatentem habemus. quid modo
Videtur? Sac. morte quauis vel turpiſſima,
Digniſſimus, ſed ne te diſcrucia, neqꝫ
Diſcinde pallium: redi, pœnas dabit
In tempore: redi nunc tuum in cubiculum.
Nanque ruit nox, ſuadéntqꝫ ſomnos ſidera.
Ca. Vos me quietem capere poſſe creditis?
Sac. Quid ni? relinque iſtũ his quieturũ quidẽ
Longe minus quàm tu, probe hos, ſi nouimus,
Queis ſæuiores nullos vſquam inueneris,
Aut magis in pœnas cogitandas dædalos.
Iſtum ſuis ornabunt ex virtutibus.
Ca. Quando ita paratos, ac volentes intuor,
Prouinciam vobis relinquam: hunc vinculis
Stringite columnã ad iſtã, ſe hominem ſentiat
Deus deorum. Sac. effectum tibi curabitur.

TORTORES.

Væh tibi Chriſte,
Paix tibi Chriſte,
Hos ede pugnos,
Dextera malæ
Hæreat ipſi.
Væh tibi Chriſte,
Paix tibi Chriſte,
Væh tibi Chriſte:
Dic modo, ſi ſis
Chriſte propheta,
Quis caput iſto

Contudit ictu?
Væh tibi Chriſte,
Paix tibi Chriſte,
Stercore foſſe
Qui tibi divûm
Poſcis honores,
Nuper aſello
Vecte per vrbem,
Et populari
Lætior aura
Cuncta canentis
Stulte popelli
Ora replebas:
Samaritane,
Dæmoniace,
Heluo magne,
Magne matulſa,
Nunc ſceleratas
Da mihi pœnas,
Hem mihi malas
Porrigis vltrò?
Nec venienti
Vertis ab ictu
Belua vultum?
Sputa nec exis?
Nox tibi nulla
Contigit vnquam
Longior iſta.

PARMENO, PETRVS, CHOrus Circus.

PARMENO.

QVàm nõ ſatis cognoſcitur quid quæritur,
Neq; id prius, quàm pœnitere cœperit,
Ferè ſentitur vnquam, quando quæritur
Accerſitúrq; procuratio penus.
Eſt ſeruituti ſeruitutem adiungere.
Reddenda primùm accepti, expenſiq; ratio,
Ibi fortè, ſi quid, quod minus perſcripſeris,
Exponis, id tuo expoſitum eſt diſpendio.
Si carius veneat annona, tum hic fides
Laborat, ac exiſtimatio tua,
Herus diarium videt, legit, ſilet,
Peiora verùm hoc innuit ſilentio,
Quàm ſi palam tecum ageret contumelijs.
Tu nec ſilere iurè, nec loqui potes,
Silentium furti, ſermo arrogantiæ
Adfert notam. at minora ſunt hæc omnia
Quæ vult herus ferri, quàm quæ velis nolis
Ferenda conſeruis tibi ſunt à tuis.
Inuidiam omitto, omitto verba, iniurias,
Deuotiones, id genúſque cætera
Conuitia, præ vt quæ dicenda, leuiſſima,
Nullo tibi non loco, nullo non tempore
Inſidias moliuntur, & nectunt dolos.

Nec id ferè contingit vnquam, vt quiſpiam,
Et is præſertim qui penus curam gerit,
In quem omnis inclinata decumbit domus,
Et ſeruorum, & heri ſimul iniret gratiam.
Frugalitatem odere ſerui, hanc herus amat:
Herus minatur ſi vel obolum prodigis,
Si ſumptui parcis, tuo te numine
Hoc facere clamant ſerui, & hæredem vocant
Quibuſlibet ſunt voraciores purpuris.
Si quid recondis, non ſecus quàm lamiæ,
Lupiue hiantes, aut canes ad ilia
Vbi recondas. intuentur, nec Hercules
Illis ſatis quicquam obſignarier poteſt,
Seu veſtis, æs, ſiue edulium reconditur,
Cũcta quidẽ, vel puluiſculum verrunt: tamen
Ratione ſubducta, ſi ſummam colligis,
Satius premi eſt onere, quàm honore deprimi,
Nimióq; rectius labore, quàm ocio:
Quãdoquidẽ nihil ſit quod velis eſſe, vbi minus
Sis qui prius fueris, vitam iſtam tranſigi.
Itaq; mihi nullus ſegniciei eſt locus,
Lumine pererranda hoc mihi eſt omnis domus
Donec latronum euomuerit totam hanc luem.
Pet. Me miſerũ cui latẽdi ne hora quidẽ datur.
Nullæ latebræ, nullus eſt locus ſatis
Tutus timenti; te deus perdat ſenex
Cum lumine hoc tuo, verum imitabor nepam.
Hærebo parieti: heus quid hic, malũm, lates?

Quid hinc ſcelus te aufers?gradũ iſtic cõprime
Si tibi caues:num ſacramentum,obnoxius
Chriſto huic dediſti?nec negare id iam potes.
Cho. Verè huius ex aſſeclis hominis es ô ſenex,
Idipſum ſatis os indicat diſcors ſono,
Et te tuus Galilæum ſermo arguit.
Cir. Nõne ego te vidi in horto cũ illo furcifer,
Qui modo tribuli aurem præſcideris meo?
Pet. Diris agar ſi vel de facie hunc nouerim,
Huiúſq; dicti teſtem eum,qui eſt,aduoco:
(Nec me hic mẽdacẽ aut vanũ licebit fingere)
Iam me ſoli,políq; ſummus arbiter
Fulmine tenebras ad Acherontis exigat,
Si quid mihi vnquã cum homine interceſſit rei.
Iſtuc eſt ſapere,vt negligatur interim
Fides,dum capitis conſulas periculo.
Sed mihi ſecundum iamiam gallus occinit,
Nutúq; Ieſus me neſcio quid,admonet,
Ah iam ſcio,ecquis inconſtantior,
Fidéq; fluxiore?quis capiti meo
Aquam dabit?quis excitabit lachrymas?
O ter quatérq; perditum,ò inſania
Inſana,mentem quis mihi motam eripit?
Miſer ah miſer,quæ mihi ſalutis nunc via?
Non ſat ſupérq; erat fugiſſe, dum manus
Inijcerent, niſi nunc quoq; relictum denegem?
Quid facerem?facerẽ, ſi minus factum foret,
Vt nil minus,quàm quod feci modo,facerem,

O me ingratum, me inhumanum, me perfidum:
Quem nec tot merita, tanta nec benignitas,
Nec vlla pietas monere aut mouere potuerint
Promiſſæ vt fidei veniret in mentem mihi?
Quàm mihi videbar pulchrè fortis, cum deerat
Periculum, nunc ad leuem mulierculæ
Vocem abſq; vi, abſq; iniuria vlla turpiter
(Nec quenquam fidere inuito fas eſt deo)
Hunc ne noſſe quidem extemplo deierauerim,
Pro quo mori antè iactitabam ſtrenue.

CHORVS, CAIPHAS.

CHORVS.

Nuidia grauius nullum eſt tormenti genus,
Quæ vigiles, quæ ſopitos ſic exerceat,
Vt nunquam, vel paulum, ſinat quieſcere.
Ca. Nocte, quàm longa, ſomnum oculis haud vidi meis,
Licet iacenti ſolito in ſtrato ſtragulis
Cincto & cortinis, nullus obſtreperet mihi:
Sed me huc, illuc vtrunq; verſabam in latus,
Suſpendens crura, iactans brachia, & caput,
Nunc pronus, nunc ſupinus: plura me reor
Plura inquã paſſum, q̃ ille, ſed ſaxo hoc die.

CAIPHAS, SACERDOTES, CHRISTVS.

CAIPHAS.

Aſuere vos pij ſacerdotes velim.
ſ Sac. Nos te ſimul ſacerdos ſumme & optime.
Ca. Vbi nunc ſycophanta ille perditiſſimus?
Sac. Ipſum videbis multum ab illo, qui deum
Se veſperi iactabat, mutatum. Ca. quid eſt?
An vertit illum pertinax ſententia?
Sac. Neſcimus, nec loquutus eſt quicquam, neq;
Vllum locum dedere verbis verbera,
Sed adeſt, ab illo tute poteris ſciſcere.
Ca. Accede Chriſte huc, dic palàm, nec anxios
Diutius nos diſtine, ſi ſis dei
Cæli, ſoliq; regnatoris filius?
Chr. Si me eſſe talem dixero, nullam meis
Habebitis dictis fidem: ſin autem ego
Vos ſciſciter, rogémq;, quæ ſcitis probe,
Nec confitebimini, neq; reſpondebitis,
Nec dimittetis, niſi dimittatis neci.
Monere vos vnum interim non deſinam,
Quòd quem negatis, quem hominis eſſe filium
Vultis, aliquo videbitis pòſt tempore
Cælum tenentem cum copijs cæleſtibus,
Ac conſidentem ad dexteram dei patris.
Ca. Genus ergo ducis cælo, & filius dei es.

Chr. Veriſſime vos me eſſe dicitis. ſum ego.
Ca. Quid eſt quod vltra ſit probãdũ apertius?
Indicio ſe velut ſorex prodit ſuo.
Ex eius ore audiuimus blaſphemiam.

ANCILLA, STORAX, Chorus.

ANCILLA.

V Eſtrã obſecro fidẽ adminiſtri hũc cernite
Veſtibulo in ipſo, qui ni me haud medio- [criter
Et vultus huius, & meus fallit oculus,
Ecaſtor ex eorum eſt ordine & loco
Hominum, qui Ieſu huic galilæo operã dabant.
Sto. Ieſus iſtum habebat ſemper in oculis,
Solus norat aditus molles, & tempora
Viri: huic ſuos, ſuáqꝫ conſilia credidit.
Cho. Num ſub imperatore hoc facis ſtipendia?
Pet. Nõ, ita deus me amet, qua enim ſpe pauperi
Huic me viro in clientelam darem?
An. Vt iurat? ſe vult ſeruatum periurijs.
Cras faxo galle, elumbis vt ſis, qui mihi
Hanc dormituræ ſemper næniam occinis.

CHORVS.

S Ic cõparatũ eſt, ſcelera pœnę vt ſint ſuis
Authoribus: licétqꝫ nullus exigat,
Illas tamen pendunt ſibi (nec carnifex

Vſquam inuenitur conſcientia acrior,
Quæ non ſinit mentem reũm ſubſiſtere)
Magiſq; ſeſe vindicant ſæpiſſime,
Quàm vindicari iniuriam paſſi velint,
Mortémq;,quàm veniam,expetunt lubentius.

IVDAS, ALECTO.

IVDAS.

Hómines ſacrilegos,ſceleſtos,impios,
ô Qui quẽ pecunia numerata prodidi,
Recepta eadẽ, eundẽ nolũt reddere,
Habéntq; quod dederunt,ſimul & quod dedi.
Væh relligio,ſe mercaturos venditant
Pretio aliquem ad ſepulturam exterûm locum
Quòd pretiũ eſt ſanguinis,in ærariũ abnegant
Referre,cauti in paruis,cæci in maximis.
Nec pœnitudo facinoris tanti mea,
Nec ſua remordet illos conſcientia,
Quòd tam impiè curẽt damnatum innoxium.
Quid,inquiunt,ad nos,num præſtitimus fidẽ?
Quid egeris tecum ipſe,ſi lubet,vide.
Videã ego?quibus tã atrox videbo oculis ſcelus?
O hominem me,ſi modo homo ſum,omni belua
Longe quidem efferatior,miſerrimum.
Heu quid agã?quò me vertã? furijs hem feror
Incenſus.hei quæ verſat animum inſania?
Apagete cuncti mente qui conſtabitis,

Ne ſceleris vlla vos mei contagio
Inuadat, iſtinc illico faceſſite.
Mētem ego ne perfidiæ vſq; plenam impellere
Potui, adeo nefandum vt meditarer ſcelus?
Quis (velle fac) quis me tueri iam poteſt?
Quis tandem non me auerſetur tam ſubdolum?
Quis tam nefarie impium, tam perfidum
Non horreat? non opprimat? qui perdidi,
Qui velut ouem lupis impaſtis prodidi,
Dicam hunc magiſtrū? imò patrē faciliimum.
Iam mihi velim tellus dehiſcat infima,
Nox vbi colorem cæca rebus abſtrahit,
Vbi profundis merſus vmbris, & caligine,
Æternum, quò non oculus fert, quò conſcia
Me nulla poſſit fama conſequi, obruar.
Quæ quibus āteferā? qd loquor? qs mihi modus?
Nec iam ſcio ſi ſum, nec eſſe gaudeo,
Et ô fuiſſem nunquam, mille dignus mortibus.
Hoc nec vna mors ſatis piatura eſt ſcelus.
Quid vltra lumen intueri demoror?
An vitam carpere opto? qui huius luminis
Huiúſq; vitæ authorem, vita, & lumine
Quaſſandum perditus demens obiecerim?
Quid niſi reſtis iam miſero reſtat deniq;?
Alect. Tātus, adeóq; dulcis hominibus omnibus
Vitæ eſt amor, rurſus tantus mortis timor,
Vt iam quidem periculum ſit, ni vrgeam,
Ne redeat ad mentem. iuuandus eſt mihi

Ad laqueum,res videbor hodie mihi duas
Feciſſe diuerſiſſmas,ſed multum vtiles
Mihi gregiq; noſtro,hūc ſi impulero ad necem,
Quē mecū pręcipitem in barathrū pertraham,
Chriſtúmq; liberaro morte,qui inferos
(Nempe ita prophetæ iamdudum ætatē canūt)
Spoliaturus,atq; oppugnaturus dicitur.
Adibo ad hominem. ſalue Iuda vt meritus es,
Habes merito quod iraſcaris faucibus
Tuis:necte tibi laqueū,hem tibi pēſum Atropos
Dono dat:quid odioſa luce longius
Optas fruiſci inuiſus dijs,& hominibus?
Quis iam tibi aut honoris,aut vitæ locus?
Quid differs?quod breuius,melius eſt in malis:
Nec tanto veniam ſceleri vnquam ſperaueris.
Iud.Nec ſpero,nec peto,nec ſi iam detur,volo:
Nec vllius opem imploro,niſi tuam vnius,
(Reſtim operámq; mea cauſa hic ſūpti feceris)
Vt laqueo collum obſtringas,& frangas gulam,
Quū mortis iſta innexuero nodum ab arbore,
Immineas humeris,& multa vi me premas.
Sed tam ſceleſtum,tam impium,& nefarium
Nulla puto me ſuſpendio dignabitur
Arbor.Alect.dignabitur quidem, vel proxima
Sambucus iſthæc:addites te huc,nitere
His ramis.Iud.faxo quā iubēs.Alect.iubētior,
Ad rem tibi ſum præſto,perge.Iud.me metus
Inuadit.Alect.perge,hunc tibi repēte finiam.

Iud.Scandi,tuum nunc tu officium defungere.
Aleƈt.Facio, paix qualis hinc erũpit halitus?
Hem medius crepuit,nec mortales vt alij,
Efflauit ore,verum ventre,ſpiritum.
Nec decuit emiſiſſe hũc,quà datum oſculũ eſt,
Quem mecum æternis deputatum ardoribus,
(Qui præparantur animum deſpondentibus
Veniámq; conſequi olim deſperantibus)
Stygiã ad paludem & ſtagna cocyti abſtraho,
Et corpus vnà ipſum,ne inficiat aerem.
Quod nec feræ alites,nec impaſti canes,
Nec quamlibet famelici attingerent lupi.

Tertius aƈtus.

PILATVS, SYRVS, CHOrus,CHRISTVS.

PILATVS.

Vis aſſulatim pene pultando fores
q Effringit?heus corripite ſóno corpora
Surgite deſpumantes heſternum adhuc merum,
Nec dum ſat omnem edormijſtis crapulam?
Sy. Te Iudæorum expeƈtant primi ad lumina.
Pil.Non hos intromiſiſti? Sy. nolunt ingredi
Ne polluantur,hunc(aiunt)diem ſuo

Ferunt deo ſolennem, vt inde paſcha edant,
Trahúntq; vinctũ quendã. Pil. Ieſum ſuſpicor
In hoc, vt illum caperent, tradita eſt cohors,
Iam prodeundum eſt ocyus mihi foras.
Quid nunc tam mane ô Iudæi? rei quid eſt?
Cho. Pilate, nanq; ius tibi Cæſar facit
Et ſciſcitandi, & vindicandi criminum:
Tibi dierectarium iſtum adducimus,
Tuóq; ſiſtimus reum prætorio.
Iſtum dede neci, & affigi cruci iube:
Mortali nos beneficio immortaliter
Pilate nunc omnes tibi deuinxeris,
Dictóq; dein magis audientes feceris.
Pil. Iſtũ miniſtri intrò rapite in prætorium.
Sed cuius illum poſtulatis criminis?
Quidnam fecit mali? Cho. quid nõ fecit mali?
Hunc tibi non deferremus, crede, innoxium.
Pi. Pro lege veſtra pœnas ergo ſumite.
Cho. Damnare quenq̃ morte, nobis eſt nefas.
Pil. Deferre quàm damnare creditis minus?
Delationis vi fertur ſententia.
Cho. Iudicio inſontem nũquam demittes neci.
Nouis qui vulgus falſum habet opinionibus
Cenſum interuertit, vetátq; pendi Cæſari.
Seſe eſſe regem vbiq; falſo venditat
Impoſtor impudens, & plagiarius,
Et plebem à noſtra, imò dei lege auocat:
Quo ſcelere comprenduntur vno cætera.

Pil. Homo iſte, quem defertis, eſſe ſentio
Æquiſſimus ſceleriſq; quàm puriſſimus.
Vna duntaxat me haud parũ re habet anxiũ,
Quòd ſeſe homo minime vt videtur, improbus,
Regem audeat fateri, ſi audeat modo,
Nec abs re id. iſte nempe corporis ſtatus
Facies honeſta, & liberalis, regium
Neſcio quid arguit, dignúmq; purpuræ.
O quantum in illo eſt inſtar, quem ſeſe refert?
Adibo, rémq; in quæſtionem iſtam feram.
Nunc illius guſtare ſermonem volo.
Heus Chriſte adeſdum, & profitere candide,
Túne, obſecro, rex gentis es Iudaicæ?
Chr. A temetipſo hoc dicis? an alij tibi
Dixere de me? ſi tu per te conijcis,
Vt qui prophetas forte noſtros legeris,
Aſſertione nil vltra eſt opus mea,
Nec dubijs ſigna multa iam monſtris dedi.
Si per alios, mihi vni haud credes plurium
Fidem eleuanti. Pil. tu Iudæum me putas,
Cui à negotijs tantum ſuperſit otij
Veſtra vt legam vel qui legerunt, audiam?
Quive te oderim, quem ſumpſerim, in quem
vindicem?
Num gens tua, & tui ſacerdotes mihi
Te detulere? quem reum tyrannidis,
Regniq; vt audis, affectati poſtulant.
Agnoſcis, ánne crimen abs te reijcis?

Quid Chriſte commiſiſti, te adeo vt oderint?
Chr. Regnum meum, vt Pilate reris forſitan,
Huiuſmodi non eſt, quo terræ, quo maris
Rerúmq; ſummam iam regi aut verti petam,
Non ea vis animo, tanta nec ſuperbia,
Nec hæc honoris prætendi vnquam culmina.
Quòd ſi non credis, rem tibi authorem dabo.
Omneis ab vna coniecturas percipe,
Si talia ambiiſſem, haberem ſatrapas
Qui ferro accincti Iudæis reſiſterent,
Ne pro ſua tractarent me libidine,
Regnum profecto Ponti non eſt hinc meum.
Pi. Es ergo rex? Chr. iſtud quidem veriſſime,
Sum quippe rex, nec me eſſe, fuerit quodlibet,
Negauero, qui in hoc natus deſcenderim
Vt veritati teſtimonium darem.
Pil. Obſcuro inuoluit verū, ac ſine ſenſu ſonum
Emittit, vt non illum ſatis intelligam,
Quid muſſitas? quid porrò iſthæc eſt veritas?
Sed redeo demum, vt ſi queam, iras temperē.
Nequeo ſatis mirari ô myſtæ principes,
Quis tantus incendat animos in hunc furor,
Quem nulla ſcelerum deſtruitis infamia,
Nec ſat peragitis, aut condemmatis reum.
Cho. Non peragitur reus qui populum cōmouet
Sua arte, præſtigiiſq;, & eloquentia,
Per quas gradum faciet, niſi obſtes ocyus,
Hominiſq; proiicias repente audaciam.

Quæ olim excitabit, quod nec, vt reris, premes
Quum forſitan voles Pilate, incendium:
Nam ſerpit indies mali contagio,
Vtpote quæ à Galilæa, vnde nil vnquam boni,
Hieroſolymam vſq; confeſtim progreſſa ſit.
Pil. A Galilæa? Galilæus eſt homo? Chor. eſt quidem.
Pil. Non me igitur hic præbebo iudicem, ad ſuum
Herodem patriciali iure reſpicit
Cognitio tota, nec mei hæc res eſt fori.
Non in cicatricem vnguis immittendus eſt,
Nec irritare pergam in me Herodis odia:
Reiectio hæc forte dabit reditum in gratiam,
Prouinciales præſes in ſuos habet
Duntaxat imperiū. Cho. habet & in extraneos
Si quod, vt hic artifex, ſcelus patrauerint:
Veruntamen lubenter Herodem adibimus.

CHORVS, HERODES.

CHORVS,

Lerunque vel leui graues iniuriæ
P Redimuntur obſequio, idque ſi fit tempori.
Hero. Potuit nihil mihi hoc die contingere,
Hoc homine tempeſtiuius, vel gratius

Cum quòd Pilatus, quē putarā in hunc diem
Animo fuiſſe in me parum æquo, miſerit,
Tum quòd viris primæ notæ condixerim
Cœnam, quibus futurus eſt homo omnibus
Bellarijs acceptior, ſed interim,
Iuuat fruiſci inſania huius, omnium
Qui ſunt, fuerunt, aut erunt, vt audio,
Præſtigiatoris longe feſtiuiſſimi,
Vt quem ferant mutaſſe aquam vino optimo,
Quo nec phalernum ſuauius: quid? ſedibus
Excit ſuis manes, & vt lubet excitos
Rurſus remittit in barathrum: in corpora
Animas iubet reuertier, deducere
Cælo poteſt lunam, poteſt ſolus omnia.
Sed rogo, rogantem Chriſte dedignabere?
Certaſſe te officio priorem haud tædeat,
Per te vtriuſq; detur intuerier
Parentis ora, detur inquam vltrò, & citrò
Audire veras, ſimúlq; voces reddere.
Quòd ſi iſta nolis, vel quod abſit, non queas,
Saltem velis, queáſq;, quod vel fœminæ
Potuere, mutes ex his aliquot in ſues,
Aut potius euadas manus, inſtar gygis,
Inuiſus horum, qui tibi tantum inuident:
Aut, ſi lubet, Paſetis adpara dapes,
Fac aliquot hic tuæ ſpecimen induſtriæ,
Cur dicta in aures mea negas demittere?
Mène ita pati repulſam? dic eia babys.

Mutus magis quàm piſcis es, væh ſtipiti.
Apage elegantem regem, veſte hunc regia
Onerate verius quàm ornate milites,
Illúmque præſidi curate redditum,
Meiſque verbis agite gratias viro.

CHORVS HERODINORVM.

Surge age velox
Rex ſine regno,
Simia, ſemper
Simia, quanuis
Aurea geſtes
Pallia, cui non
Ingenium auro
Læna triſici
Verterit vnquam.
Quid tibi vero
Debita regi
Stemmata poſcis?
Chreſte magis, quàm
Chriſte, aſininis
Effigiande
Auriculis, &
Crure retracto

PILATVS.

ſI quid anĩo eſt,quod nõ ſedet forſan tuo,
Te ſequitur,ac velut tuos greſſus legit,
Vix explicaberis:verũ ſi quid placet,
Id ipſum,quo magis cupis,magis fugit.
Ecce illum rurſus ad me retrahunt,auribus
Sonum haurio redeuntium,ac inſtar gruum
Clamantium,obuium foras me proferam.
Cho.Faciemus̃ ò Ponti hoc die periculum
Quo noſtra apud te in precio ſiet authoritas,
Pil.Eo quidem quo maiore eſſe non queat,
Sed q̃ vſqꝫ ad aras tamẽ.Ch.nobis haud q̇dẽ aliud
Quàm tot nefarijs,támqꝫ excedentibus
Criminibus obrutum hũc peremptũ poſcimus.
Pil.An eſt compertus,aut confeſſus criminis?
Quid ſceleris in ſe admiſerit,video nihil.
Nec ipſe Herodes,homini licet infenſior,
Et cui odia mouerit verbis aſperrima:
Nempe illum ſæpius vocitans vulpeculam.
Nec ſi tumultuetur plebs,eſt protinus
Exaudienda:tantum abeſt,ſententiam vt
Quenquã his deceat pati acclamationibus,
Quas vel fauore,vel odio,vel vt ſolet
Rerum nouarum cupiditate,nec ſine
Temeritate excitari iam olim nouimus,
Nec iuris vnquam perfringam repagula.

Cho. Haud ſẽper errat populus. quin aiũt, eam
Dei eſſe vocem, quæ ſit populi: nec tuæ
Leges noſtris ſunt præferendæ moribus.
Et nos quidem leges habemus, quæ volunt,
Iubéntq; eum mori Pilate, ne hæſites.
Bona cum exiſtimatione plurimas
Hæc gratias tibi afferet ſententia.
Pilate, per nobis, per inquam, feceris
Gratum, ſuo ſi vltra huic dolo vti non licet.
Pil. Quid afferatis in homine, Hercules, nihil
Præter voluntatem nocendi, conſpicor.
Plurima profertis, nihil probatis omnium:
Quæ cum tacetis, clàm eſſe nulla fatemini.
Mihi velim ignoſcite, virum ſi ſæpius
Excuſo, nimirum huius hoc meret æquitas,
Nulla mihi optanti vobis gratificarier
Vel minima damnandi hominis occaſio datur.
Eſt vobis mos ſeruatus annis pluribus,
Quo præſes ipſe vinctum vnum permittere
Arbitrio veſtro ſoleat. iſtum deſtino
Quem iudicetis, veſtra vt feret ſententia,
Veſtras in iras hunc vobis concedimus.
Cho. Dimitte potius Baraban, iſtum nolumus.
Pil. At quid de Ieſu erit, cui Chriſto nomen eſt?
Cho. Quid? tolle tolle, & arduæ figas cruci.
Pil. Quàm ſæuit animis vulgus pertinacibus.
Sed nullum non mouebo lapidem, vt liberem
Hunc morte: quem ſic faciam diſcindi flagris,

Et funibus tortoris ad faſtidium,
Vt quamlibet ferocientes expleat.
Hunc preſtat cute, quàm capite pœnas pẽdere.
Tam male ſit illi nunc, quàm cui ſit peſſime.

SANGA, SANNIO, CHOrus Lorariorum.

Sang. Fortiter eia
Cædite tergum,
Cædite pectus,
Cædite crura,
Iam calefacto
Aere virgis
Chriſte liqueſces.
Acrados hirtæ
Vimine texta
Triſte corolla
Huic caput ornet.
Hem cruor exit.
Acrius ò vos
Acrius, inquam,
Stringite. quid iam
Sannio ceſſas?
San. Quid tibi ceſſo?
Num magis alte
Figere poſſum?,
Me mage vis, quàm
Ipſa libido

Deficit, ecce
Ad noua ſemper,
Vulnera prurit
Méuſq;, manúſq;.
Creſcite pœnæ,
Robur in ipſa
Verbera creſcat.
Cho. Lo. Oſſa retecta
Vndiq; parent.
Vndiq; ſanguis
Deffluit, ecce
Tabo humus omnis
Tincta madeſcit.
Ecquod in iſto
Corpore corpus?
Non ita feſſus
Iſta ferendo es,
Quàm ſumus ipſi
Te feriendo.
Ohe ouis ohe
Nil quereris? nil
Denique muſſas?
Nec ſaturata
Ira quieuit.
Perge modo ira
Perge, tacentis
Exere linguam,
Effode lumen,

Comprime fauces,
Contere malas,
Vellito barbam
Sanguine cretam.
Nil niſi flagra
Audiat æther.
Poplite flexo hunc
Quiſq; ſalutet.
Cho. Noſter aue rex.
Sān. Hui modo bellum
Cernite regem,
Cui vice ſceptri
Cedat arundo,
Quando ita rex es,
Ex meritis me
Vt mea virtus
Poſtulat, ornes.
Sani. Talia regna
Hoſtibus eſſe,
Quàm mihi, malim.

PILATVS, CHORVS IVDAEORVM, CHRISTSVS.

PILATVS.

Ecce ad eos illum rurſus educam foras.
Exi exi Chriſte ſcaturiens vibicibus,
Vulneráq; plura contegens, traducere

Conſpicue purpura,& corona ſpinea.
Ecce homo,quẽ qs tuẽdo à lachrymis tẽperet?
Ecce homo,cui nec iuratus hoſtis debeat
Vitam inuidere nimis Hercle illætabilem,
Ac morte quauis miſeriorem.cernite
Fœdata ſputis ora,terga vitibus
Peruſta,necnon & ſpinis cinctum caput:
Cinctum caput ſpinis heu quàm crudelibus?
Quæ barbarorum rabies,aut immanitas
Iſto non commoueretur ſpectaculo?
Quis inquam tam auidus ſanguinem ſitit,ſitim
Qui non hic expleat?quæ adeo inſaturabilis
Ira eſt,cui non tot plagæ,tótq; vulnera
Inducant ſatiem?Cho.nec Pilate hoc eſt ſatis.
Illum vt meretur arduæ adfigas cruci.
Pil. Vos illum arbitrio veſtro morti opponite:
Nec cõmittam vnquã, vt illum adiudicẽ neci,
Quem nullius reperiam affinem criminis.
Cho.Quaſi hoc ſatis ſupérq; cauſæ non ſiet
Quòd ſe dei fingat impudenter filium?
Adeóq; fas,ius,léxq; noſtra mori hunc iubent.
An ſacri commiſſi reum factum eximes?
Nec iudicis partes Pilate ſolum in negocio,
Sed vindicis vires debes aſſumere:
Quo noſter,imò communis omnium deus
Violatur,imperij imminuitur dignitas.
Pil.Iam cauſa difficilior huius fit:nouus
Repente me neſcio quis inceſſit metus,

Qui pene de ſententia me deijcit.
Repetam hūc tamen demum. rogāti dic palàm,
Dic Chriſte quæſo, tuum vnde deducis genus?
Nihil mihi reſpondes? quid iam ſubtices?
Nihilne in hoc te reſpicis periculo?
Vbi nunc tibi mens? quæ tibi fiducia eſt?
Neſcis heu neſcis Chriſte, mihi vitæ, & necis
Tuæ eſſe ius? Chr. Nullum ô Pilate eſſet tibi,
Ni tibi foret poteſtas cælo tradita.
Hinc longe iniquius egit is, qui prodidit
Tibi me, ſui iam nimium oblitus & mei.

LVCIA, DORVS.

Luc. Vade age Dore
Ocyor aura,
Et mea defer
Dicta marito.
Currere ceſſas?
Dor. Iam mora nulla
In me erit, ibo
Perpete curſu.
O vtinam nox
Perpetua eſſet,
Si quid edendum
Nocte daretur.
Nanque vbi primum
Orta dies eſt,

Nulla quietis
Deditur hora.
Me modo præſes,
Me modo coniux,
Ire,redire
Huc iubet,illuc.
Et mora ſi qua eſt,
Protinus hæret
Dextera malæ.
Per medios hos
Nulla pateſcit
Mi via,nec vox
Obruta tanto
Murmure magni
Præſidis aures
Poſſet adire.
Cædite verpi
Cædite:ni iam
Cæditis, iſto
Nunc mihi torre
Limes agetur.

D O R V S.

Te ſaluere iubet tua
Coniux,& rogat,& monet:
Et quantum tua dignitas
Præſes maxime,& optime

Vxori ſinit, imperat
Ne quid durius in virum
Hunc rectum, innocuum, probum
Auſis. illa etenim ſe ait,
Noctis tempore, cæteris
Quo mortalibus eſt quies,
Paſſam inſomnia plurima,
Diras quæ incuterent minas.
Hæc te præmonitum cupit,
Nil de te tamen, aut tua
Hærens iuſtitia, ac fide.

PILATVS, CHORVS
Iudæorum.

PILATVS.

Rò Iuppiter, q̃ nihil vſq̃ ſat liberũ eſt.
p Quàm multa iniqua ſunt ferenda illi ſimul,
Et facienda, ſuam dignitatem qui velit
Retinere: quem vt multi timent, multos quoq;
Timeat neceſſe eſt: hiſq; multa indulgeat
Quæ nec voluntas fert, nec æquitas ſinit.
Scio ad necem innocentem poſtularier.
Quid facerem? verpos habeo dudum cognitos,
Iræ impotentes, ceruicoſos, inuidos.
Paſſi repulſam neſciunt quieſcere,

Nunc cautio eſt,ne ſi eorum ab ira hūc libero,
Conuerſam in vnius mei exitium ferant.
Me geſtæ male prouinciæ,atq; criminum:
Infamia tum deſtruent,tum deferent
Tiberio,ac ſenatui,ac agent reum,
Prætérq; vera,multa fingent crimina,
Quæ nec refelli vnquam ſatis,nec dilui
Poſſunt:& vt non omnibus ſemper fides
Habetur,ita nunq̄ profecto funditus
Ex animis auelluntur audientium:
Verum ſuperſunt vt cicatrix vulneri,
Haud vlla me res habuit vnq̄ tam anxium.
Quid ſi ſic?nihil erit.quid ſi ſic?nihil magis.
At ſic dehortabor,nil quàm prius,egero.
Quid facias cū illis,qui nec fas,nec ius colūt,
Furore cæci,nec probant niſi quod volunt?
At turpe eū eſt,qui nomen aliquod,aut decus
Geſſit,priuatam,atq; adeò ſecuram parum
Tranſigere vitam.quòd,ſi quid eſt incommodi,
In illum certe verti quàm in me mauelim:
Nec,ne peius ominer,cogi in ordinem iuuat
Me nunc aſſuetum trabeis,& ſecuribus,
Nullos amicos,aut gentiles,& opibus
Nullis,nullos hæredes relicturus quidem eſt,
Qui vindicent iniuriam:veruntamen
Nullum illi in me commodum claudi velim:
Experiar,ibo rurſus in monita & preces.
Audite Iudæi,neq; placidas velim

Mihi obſtruatis aures: quòd ſi immanibus
Tot iam flagellis non datis vitam, neque
Miſeremini huius, at meis molliamini
Verbis, imò æquitate ipſa vincamini,
Nec facta veſtri olim minores hæc ferent.
Nam ſi ille pœnas dignus has, qui pendat, eſt,
Eſtis tamen, qui has debeatis ſumere,
Indigni, opima ſpolia vobis ſcilicet,
Magnúmq; nomen, & diu memorabile
Inde referetis, impar ſi veſtris homo
Odijs & idem innoxius, iam pendeat?
Cho. Fruſtra moraris tempus, velle deſine,
Nec plura iam pares, auras diuerberas:
Nec ſuaſeris, niſi feceris nobis ſatis.
Pil. Quæ nã voluptas, quod hinc erit cõpẽdiũ?
Hunc ſic neci oppoſuiſſe, qui multo minus
Nocere viuus, quàm fato functus queat?
Nec morte dignus, niſi etiam tollendus eſt.
Cho. Tollendus hercle eſt ô Pilate, furcifer:
Quem ſi ſolutum amiſeris inde, Cæſarem
Amittas quoq; neceſſe eſt, nec capit duos
Conſortij poteſtas omnis neſcia,
Vbi non iſte ſeſe regem venditat?
Quò, quid poteſt Cæſari aduerſarier magis?
Quẽ nos monarchã ferimus, atq; amplectimur:
Cuius amor, & honor præferendus vnius
Et miſeri, & impoſtoris certè maximi:
Qui nec habet, qui queat officium reponere,

Si conferas: nec ſi inferas iniuriam,
Vlciſci: quæ qui illi vſquam inferri iam poteſt,
Qui diuina atq; humana vertit omnia?
Quid eius oſtiatim agemus crimina?
Quæ latera, quæ vox, quæ vires immanium
Iam ſuſtinebunt facinorum querimoniam?
Quæ'nam illa nunc aures vel patientiſſimæ
Ferant? quis non totus recenſendo horreat,
Quæ fuerit auſus bipedum ſceleratiſſimus?
Vide quam inuras hoc tibi facto notam:
Nam qui poteſt, nec vindicat, ſceleri fauet.
Tu comperendinabis, aut ſi dijs placet,
Iam vulgi opinione, quæ dei quoq;
Cenſetur eſſe, damnatum reum eximens.
Abſolues? nóſne victos incepto deſiſtere?
Pil. Plectenda quæuis ſine furore noxia eſt,
Impune relicta culpa, culpam aliam parit.
At ſeram habet ſemper furor pœnitentiam,
Et præſtat abſoluiſſe ſontem, quàm pati
Innoxium ſententiam: qualem hunc puto, &
Recte puto, ac repeto: nec vllum tædium
Parere debet, ſi innocentem, & omnia,
Omnia bonum toties ſolutum poſtulem,
Qui veſtra ex inuidia vſq; ſupérq; quàm ſatis
Laborat: huiúsne odium veſtræ extinxerit
Clementiæ omnibus probatæ gloriam?
Ne quæſo, ne Iudæi iniquo aſſueſcite
Iudicio mentem, vincat iram veritas.

Cho. Imò fauorem vincat ò Ponti æquitas,
Nónne ex probatis iudices pronunciant?
Dicenda pœna nulla, quæ placet deo
Eúmq; placat, vnquam erit crudelitas.
Quis tot ſceleribus obruto pepercerit?
Multa hic Pilate, multa prætermiſimus,
Quę aut parū credibilia, aut nimis ſūt turpia.
Pil. Quæ potuit abſoluendi hominis eſſe ratio,
Habita fuit. reliqui inexpertum nihil,
Ventū ad ſupremū, digna indignáq; fecimus.
Quod in me erat, præſtitiſſe laudabor, ſitum:
Ego, quoad licuit, hominis innocentiam
Tutatus, ecce meme verti in omnia.
Quid facerem? inuitus cogor ad ſententiam,
At Hercules non animi huius ſententiam.
Scādo igitur ſolium hoc varijs ſtratū lapidibus.
Verum ò Iudæi, teſtor vtranq; innocentiam
Meam, iſtiúſq;, quòd nihil conſentio.
(Nec res mihi hęc fraudi ſit, vertátve crimini)
Supplicio huius hominis, ſi quis alius, optimi.
Cho. Hac te relligione ò Pilate exoluimus,
Pone hūc corde metū, in nos cudatur hæc faba,
Scelus rependemus, rependendum ſi erit,
Nec modo nos, ſed qui nos deinde poſteri
Sequentur: in nos noxā omnes hanc recipimus.
Pil. Date famuli manibus lymphas meis, date:
Quæ vt ſordes manuū reluūt, ita me ſanguinis,
Et mortis innocentis exortem probent.

I, colliga lictor manus, abducito
Hinc & cruce extra vrbem ardua ſuſpendito.
Huiúſq; cauſam figito cacumini hanc,
Ieſus nazarenus rex Iudæorum.
Cho. Ne ſcribe, qui eſt: ſed qui eſſe ſeſe dixerit.
Pi. Quod ſcripſimus, ſcripſimus. ratum eſſe fas
erit.

MARIA.

En quiſnam hos graditur per medios,
b Cui duo fures claudunt latera?
Num natus meus eſt? eſt certe,
Vultu ipſo patuit meus natus,
Infelix heu natus, tantum
An potui ſperare dolorem?
Hécne olim promiſſa fides eſt,
Quæ natum mihi promittebat
Orbem qui ditione teneret?
Et cælo æquaret famam,
Nos deus hæc in
Sceptra reponis?
O vos crudeles Iudæi
Auſi immane nefas, qui
Sic lacerum crudeliter ora
Inſuper ad mortem raptatis.
O quoq; me crudelem matrem,
In nato quæ cernere poſſum
Vulnera, que vos tanta tuliſtis.

Nec iam me prohibete aditu,
Per vos liceat,
Baſia ferre,
Quin ſufferre crucem, atq; ſubire
Humeris: de me ſumite pœnas,
Illum amittite, ſoluite vinclis.
Illum quid tam præcipitatis?
Neu propera, neu te abſtrahe noſtro
Conſpectu nate: extremum te
Compellem ſinito, neq; matrem
Deſpectes fili miſeram,
Optime ſaltem
Reſpice matrem.
Hæc'ne oculis pater aſpicis æquis?
Men' tanto ſupereſſe dolori,
Dedecori, probro voluiſti?
Quem non culpem hominúmve, deúmve?
Heu quid agam? quò me conuertam?
Quæ tellus? quæ Mariam maria
Accipiant orbatam nato,
Nato vno, cunctis alijs
Et meliore,
Et potiore?
Nato vno numeri damnum, qui,
Si ſupereſt, ſatis expleat vnus
Matri iſto nimium felici.
Si qua animis reſtat adhuc pietas,
Et mortalia pectora tangit,

Exuite hanc mentem Iudæi,
Parcite vulneribus cumulare
Vulnera, parcite verberibus
Quæis oneratis
Dudum oneratum.
Sed nil proficio ſermone,
Nullum iræ capiunt finem, nec
Miteſcit rabies, vrgetis
Acrius, ac celeratis euntem,
Succedam non paſſibus æquis,
Si modo non animus fugiat
Tam graue nati
Cernere lethum.

CHO. SOLYMIDARVM, Chr. Sannio, Simo.

CHO. SOLY.

Vis adeo genere è Cocitum eſt,
q Et pectus vſque ſaxeum
Geſtat, qui à lachrymis temperet,
Speciémque cernendo hanc ferat?
Quòd ſic tot ante vulnera
Paſſus, trahatur ad crucem
Homo hic, ſi homo dicendus eſt,
Quo pulchrior mortalium
Nullus, nec innocentior,

Nec alter vſquam iuſtior
In gente Iudæa fuit.
Qui nemini non profuit,
At nunc cum iniquis ducitur,
Et medius it latronibus.
Nec mora, nec vlla illi quies.
Chriſt. Quo lugeatis me, aut mea
Cauſa, nihil iam ſuſpicor
Eſſe ó Solymides: vos magis
Seruate veſtro hos caſui
Luctus: dies nanque venient,
Venient, ſciens loquor, quibus
Geſſiſſe ventrem triſte erit:
Et ſe eſſe matres plurimæ
Nolent, beatæque ſteriles
Dicentur, ori quæ vbera,
Buáſque non admouerint
Infantium: tum ſicubi
Sint ſaxa lamis concaua,
Petetis: atque montibus,
Et collibus circuntegi,
Terráſque vobis hiſcere
Votis petetis omnibus.
In humido ſi ſtipite
Et dante fructus optimos
Exarſit ignis: quid precor
In arido ac inutili
Poſthac futurum creditis?

San. Etiámne victo vis tibi
Redinit in præcordia,
Vt commineris triſtia?
Grandibo torre hoc tibi gradum.
Eia ſceleſte reſtitas?
Reddam tibi totum ictibus
Tuber caput: ſerua modo.
Succumbit impar ponderi.
Oneri ſubi Simon. Sim. egon'
Humeris ſubibo tam arduum,
Cui vix duo ſuffecerint,
Faſcem? San. ſubibis Hercules:
Si iam tibi infortunium
Caues. age, huc iam te addites.
Reniteris? cape colaphum.
Sim. Iſtud quidem vis eſt. San. adhuc
De re audio? perge ocyus.
Sim. Lex eſt ineluctabilis,
Qua non pares fortioribus,
Ipſi ſubeſſe cogimur.

SANNIO, SANDALIO, Brumax.

SANNIO.

Aix, quantam meo naſo induũnt moleſtiam
Exeſa nondũ penitus iſthæc cadauera?

Eia age, humi furcifer crucem hanc deponito,
Vt quam tuliſti nunc, viciſſim te ferat:
Ego felle, myrrháq́ȝ illi dudum poculum
Commiſcui. hauri pro libidine. abijcis?
Ha ha he. non guſtum dat, quem bibo expetis
Cuive aſſueuiſti olim, vini molliſſimi.
Brumax, prouolue illũ in crucẽ, quãtum potes.
Br. Ecce vt volens ſeſe remittit, & cruci
Incumbit vltro, paſſas manus diuaricat.
Ego hoc ſiniſtram, Sannio illo dexteram
Clauo inſuas. San. obtuſior quàm qui queat
Figi, eſt. Br. melior hoc, latius vulnus dabit,
Fige alte. Sã. nequeo altius. Bru. ãbos querno pe[des]
Connecto robori his clauis trabalibus.
San. Tormentis hactenus geſſi inſaturabile
Pectus: at iſte aim explet, & adimit mihi famẽ.
Bru. Mihi porrò creſcit, atq́ȝ in horas pullulat,
Alteráq́ȝ alterius author eſt immanitas.
Sã. Iſthoc in tumulo effode ſcrobẽ, q̃ crux humi
Mandetur. Bru. effectum puta, mandabitur,
Hem ſegnis hæc ſitu tellus obduruit,
Nec huic ſatis marra imperari iam poteſt:
Domabitur tamen vi, ſed dic Sannio
Audiſtin' Adamum, à quo genus mortalium
Defluxit omne, ſedibus profugum ſuis
Nefas ob atrox, longa per diſcrimina
Quæſiſſe terram hanc, & loco veſtigia
Fixiſſe, defunctúmq́ȝ vita hac conditum

Humo?ea fama diu tenuit aures.San.audij
Et fama fuit:at hæc reijcitur vt leuis.
Bru.Ego,quē nō Hercle vani docuere augures,
Ariolor hunc iuxta locum,vel proxime
Olim ponendam maximi ſtatuam Iouis.
San.Spretis videlicet capitolij ædibus.
Lepidum caput,noſti probe pennæ omina.
Bru.Vlterius addam,ſi me fati longius
Cogas mouere arcana.Sa.Cedo audacius.
Bru.Figetur hac ſcrobe & ſimulacrum Cypriæ.
San.Amœnitate ſcilicet captæ loci.
Tace enecas me iſtis, non tam quòd euomis
Ridicula,quàm quòd illa ſic certo aſtruis,
Ut temetipſe mentiri non ſentias.
Sed pone marram,iamiam ſcrobs alta eſt ſatis.
Br.Eſt,apage marrā.Sād.cōcuſſiſti hac mihi pe
Di te deæq; omnes malè & cito enecent. [dē,
Bru.Magis roga hos,vt ſim ſuperſtes quàm diu.
Me nūc mori haud ex re eſt tua,nam qui modo
Malus es,eris me mortuo nequiſſimus.
Sand.Quid talibus nugis creatis hic moram?
Vnà omnes ſubito admoliamini manus,
Vnà omnes ſuccedamus oneri,heus Sannio
Emines,extrema ſtes in parte,humeris ſubi,
Crucémq; ſurſum,vt ſe vires dant,erige.
Abi ſcelus,ſiniſti pronam labier.
Sand.Sciens voléńſq; feci, omnia vt oſſa iſtius
Simul cōcuterētur.San.ſuppliciorum es ſator,

Et ſi quiſquam alius, artifex induſtrius,
Rurſum enitamini, ac ori foſſæ trabem
Ipſam admouete, omnes manus, omnes date.
Trahat ruinam, cauete, ſtragémve faciat.
Eia agite, gnauiter humeris incumbite.
Ha ha ſucceſſit, rectà in auras tollitur,
Nitor ipſe ſcalis, vt crucis cacumini
Crimen eius hominis inſeram, quod Pontius
Hebræis, & Latinis, & Graijs notis
Edidit. id omnes modo oculis percurrite,
Haud facile fixum vel furens tulerit notus.
Hæc ſunt de Chriſto, quæ reſtant inſignia.
Nunc aſſidentes intueamur pendulum.
San. Imò inter nos pro noſtra conſuetudine
Diſpertiamur veſtimenta. porrige
Mihi Brumax gladium, quo expedite diſſuam.
Bru. Gladium manúmque porrigo, diſſue.
San. Hæc tua
Manica Brumax erit. tibi cedet altera
Sangax: habebis hanc partem Sandalio,
Seruauero quartam mihi, ex æquo omnia.
Bru. Nobis veſtis adhuc ſupereſt inconſutilis.
San. Non ſcindamus eam quæſo, nulli poſtmodum
Vſui futuram, at Sangax potius aleam.
Iacito, vel galeam in iſtam ſortes mittito:
Cuiúſque noſtrum primus exibit locus,
Illam ſibi habeat & reſeruet integram.

Cho.Volumus.Bru. conijcite veſtra in galeam nomina.

Cho. Iacimus. ſed ô Brumax, galeam verſa ac moue, .

Tu Serra dextrâ immitte, abſit dolus: expedi,
Cuiuſnam nomen hinc detraxiſti prius?
San.Neſcio, videte.Cho. tuũ eſt, age ô Sãdalie.
Sã.Mea eſt ergo ſolius.Cho.tua ſit per nos licet.

VIANTES, PRINCIPES SAcerdotum, Latrones duo.

VIANTES.

Ia obiter inuiſamus habentẽ patibulũ
e Regem, morari vſque iuuat, vt quem iam cruce
Suſpendere alij, ſuſpendamus quoq;
Naſo, capite, verbis. ſed eccum, maleficis
Pendet duobus medius. quàm illis conuenit?
Percam trahit, quod aiunt, comitem ſepia.
Væh qui ſolo æquas, totúmq; imis eruis
A ſedibus templum, diebus quod tribus
Educeres, faſtigiúmq; imponeres.
Hac te cruce explica, hiſq; te malis eripe,
Recede in auras, excute has harpagines,
Sac, alijs ſaluti qui fuit, ſibi deeſt.
Si filius dei eſt, fatóq; Meſſias

Promiſſus, Iſraelem qui imperio premat,
Explicet hinc ſe, duróq; robore eximat,
Capiátq; terras: nil non illi poſtmodum
Credemus, & feremus vltro principem.
Semper dei ſtetiſſe ſeſe numine,
Deóq; natum voce fatus publica eſt.
Hunc ſi deus vult, ſcilicet, iam liberet.
Lat. Si deus es, excita potentiam tuam,
Iam morte id extrema pares oſtendere,
Hoc téq;, nóſq; libera periculo,
Præſenti eripe nos letho. veh bello deo.
Lat. Rē facis haud indignā quidē moribus tuis
Qui fraude lætatus, cruces meres decem:
Quorſum miſer? quorſum huic inſultabis viro?
Qui pateris eadem, at non eadem me Hercule
Ratione. nam merito luis pœnas tuo:
Hic vero, quem ſic ludis (eſſe ſentio)
Æquiſſimus, ſcelerúmq; quampuriſſimus:
Non hunc ſcelus, ſed virtus afflixit ſua:
Quem reor eſſe deum, & ô certe deus
Quē ſupplex precor, atq; exorari vt ſe ſinat,
Votis omnibus, & precibus infimis rogo:
Vt cum ſupremam cæli in arcem aſcenderit,
Illum mei ſubeat, nec pœnas exigat:
Sed numen auertat malis meritum. Chr. agedum
Securus hodie cæli mecum culmina
Scandes, ne dubita, mea firmabo numina.

CHORVS IVDAEORVM.

P Rò dij veſtram fidem, noctémne perpetem
(Nã nec dies, nec nox polo diſcernitur)
Paratis orbi? tanta quia nam cinxerit
Nubes polum omnem, ſol caput ferrugine
Texit, nec aſtra quoquam, nec ſtellæ micant,
Prætérq; rerum conſtitutarum ordinem,
Tenebræ vniuerſas orbis partes occupant
Tres plus minus iã horas. quis huic rei modus?
Verum audiamus, neſcio quid furcifer
Secum (audiamus, diſcerpunt auræ omnia)
Loquitur. Chr. Eloi Eloi, ſamazabatani?
Cho. Eliam vocat: at ſinite, videamus ſi opem
Auxiliúmve miſero tandem Elias feret,
Fixúmq; clauis liberabit à cruce.
Chr. Sitio. San. ſitis? habeo quo reſtingam illico
Sitim, ecce hac fellei propino arundine
Expletam aceti ſpongiam. hauri. reijcis?

CHRISTVS.

En differor doloribus.
h Quid vſque & vſque me deus
Deus meus reliqueris?
O vos, viam hac qui carpitis
Omnes videte, attendite

Si ſit dolori par dolor
Meo: quis vnquam pertulit
Plagas tot, aut tot vulnera?
Tot probra, tótq; iniurias
Ab his, quod eſt grauiſſimum,
Quos me decebat maxime
Fouere? verum illis pater
Ignoſce, neſciunt enim
Furore cæci, quidnam agant.
Hinc me iubent deſcendere
Suaſu maligni dæmonis
Qui ſe ſciat vinci hac cruce,
Qui tot prioribus fidem
Negauerint miraculis.
Noſtri ô doloris altera
Pars, mater integerrima,
Deſerta ne omnino mihi
Linquaris, iſte filij
Loco tibi tranſcribitur.
Túq; omnium chariſſime,
Hanc ferre me tui ſinas
Spem, mente tota hanc accipe.
Succurre mœſtæ, ac indigæ,
Nec parua te facti iſtius
Manebit inde gratia:
Me fratrem habebis, ſpondeo,
Si mater illa ſit tibi.
Iam nunc pateſcunt omnia

Prædicta de me oracula,
Et fine clauduntur ſuo.
Depono vitam quàm volens:
Mors quid moraris?quid times
Voce inuocantem maxima
Me me repente inuadere?
Hominum,& deûm rex mi pater
Hinc ſanctus ad te ſpiritus
Aſcendat,omnis inſcius
Culpæ,in manus illum tuas
Mandabò.ſis mihi bonus.

CHORVS IVDAEORVM.

a H *flagitium indignum, ah ſcelus plus*
quàm ſcelus.
Inſontem infando iudicio turpiſſimæ
Demiſiſſe neci:hem ſub pedibus mugit ſolum
Exterritum,& conſos ſepulchris euomit:
Cui tanta,cui iamiam parari funera hæc,
Niſi arbitro rerum ſupremo,conuenit?
Nec cuiquam hoc licuiſſe potuit mortalium.
Qualia perferimus monſtra?manes ſedibus
Suis vbiq; diuagantur exciti.
Nec vero inanis illud eſt inſomnium
Soporis,hem coràm præſentes cernimus,

Et dubitamus adhuc illum ſummi filium
Dei recipere, quem terra, aſtra recipiunt,
Teſtantur, & caſſum queruntur lumine?
Nec noſtra palmis contundemus pectora?
Nec ora vultúſq; vnguibus laniabimus?
Et teſtatiſſimis negabimus fidem?

MAGDALENE IVXTA *crucem.*

Vnc figite alteram hic crucem,
n Quando vna non ferret duos:
De hac me prope hunc ſuſpendite,
Vt ſi ſuperſit halitus
Extremus, ore colligam:
Vt conſpicer nunquam ſatis
Huic ante viſum lumini
Vultum. trahas ad te meum
Benigne Ieſu cor, trahas
Sic ad te anhelans, vt meis
Includier præcordijs
Vlterius haudquaquam ferat.
Creberrimis nam è corpore hoc
In te ſalit ſingultibus,
Vellitq;, rumpitq; ilia.
O vos ſatellites feri,
Hac eſte mites re mihi,
Iuſto eleuatam ſtipite

Me illo frui permittite,
Quantum licebit, quamdiu
Iſto licebit ſpiritu.
Manibus manus, & vultui
Vultum, ora iungite oribus:
Nec me cruor complectier
Illum vetabit. ſi imparem
Me creditis, facite parem:
Æquate membra funibus.
Heic heic Procuſtem vincite.
Nec curo, quo fruar modo,
Nil triſte mi contingere,
Illum modò attingam, poteſt.
Si non rapi huc me fas vetat.
Sed fas quidem vetat ream
Cum inſonte, culpis obrutam
Cum innoxio, ſeruam cum hero,
Me tam malam cum tam bono,
Me fœminam, heu quam fœminam!
Cæli, ſoliq; cum arbitro
Componier vah ſimplici:
Ecquem furorem nunc furo?
Deſipere quis me tam ſinit,
Sperare tale vt audeam,
Spectare quod nec angeli,
Nec quiſpiam cæleſtium

Quòd detur amplecti hanc crucem,
Quæ ſola tantum inter meos
Iuſtos dolores,& mala,
Miſeræ mihi eſt ſolatio:
A qua prius non eruar,
Quàm te tuus,quàm me meus
Pulſus relinquat ſpiritus:
Qui,ſi ſequi des,quod velim,
Vt nihil magis,quoquò ieris,
Te vel petentem ſidera,
Tel vel petentem tartara
Æquis ſequetur paſſibus.

Quartus actus.

IOSEPHVS ARIMATH.
Nicodemus,Centurio.

IOSEPHVS.

n Vlla re vſqueadeo hoīm aīos deuincias,
Quàm ſi illos,vbi eorũ neceſſaria opera
Non eſt,aliquo beneficio præoccupes,
Salutes,munereris,vel aliter pares.
Tum,ſi quando opus erit,paratos illico
Inueneris,magiſq; promptos,quàm ſi vbi
Res exiget,tunc magno parare occeperis.
Quòd ſi alias vnquam,nũc vero expertus ſui:
Nanq; lenibus noſtrorum hortorum fructibus,

Doniſq; inemptis præſidem ſæpiſſime
Antea ſum demeritus, ita vt facillime
Nunc ab eo, vt more noſtro, tumulo conderem
Huius prophetæ corpus, impetrauerim.
Sed video Nicodemum opportune, huc ades.
Nic. Non poſſum. aliò me mea vocant negocia.
Ioſ. Quò queſo? Nic. nō dicā. Ioſ. q̄ſi infidū vſpiā
Me noris? Nic. haud hercle equidem, at vbi periculum eſt
Capitis, ſat tuto nemini credi poteſt.
Ioſ. Mihi poteſt, vel coniectanti quid ſiet:
Nempe huius aſſecla hominis es. Nic. videlicet.
Ioſ. Atq; ego, ne dubita, me diſſimilaui hactenus
Noſtratiū metu, vt qui horum odia in eum ſatis
Perſpecta dudum haberem: ſed amor non ſinit
Me, quin eam, ac illi exequier, in hoc quidem
Mercatus iſtam nuper ſindonem fui.
Nic. Ego vero myrrham cōparaui, & aromata:
Eamus ergo. Io. eamus Nic. i præ, ſubſequar.
Ioſ. Volo, quippe habeo litteras quas offeram
Illi, qui militari ſtationi præeſt.
Sed, commodū, centurio adeſt, tun' ſyngrapham
Agnoſcis? Cen. q̇d ni agnoſcā? noſtri eſt præſidis.
Ioſ. Percurre ſi libet. Cēt. opus eſt, quādo iubet.
Ioſ. Reddi mihi prophetæ corpus iſtius
Mādat. Cé. mādat hominis Hercules æquiſſimi

Summi præſagiam eſſe filium dei:
Nec id reliquit ambiguum, aut dubium dedit.
Qui tanto in aſtra ſublato egerit animam
Clamore, tota quo tellus exterrita
Intremuit, & tenebris æther inhorruit:
Cui ſic parentant, quem ſic lugent omnia.
Dum crura frangeremus alijs, obierat
Iam, ſpiritúmq; emiſerat. tum illi latus
Hauſit mucrone miles vnus quiſpiam,
Coſtáſque tranſadijt, rupitq; pectora
Nimis ſceleſtus: tum dictu mirabile,
Vulnere ab ipſo ſanguis profluxit atq; aqua.
Sed iam operi accingamur ſcalis hærentibus,
Tu nitere ad ſiniſtram, ego autē ad dexteram.
Verum iam Nicodeme, te cadaueri
Obijce: ſubi dico, caue ne perfluat
In terram. Nic. ſedulo fit, in amplexus ſine
Collabi ſenſim, ne me pondus deferat
Deorſum: ſine, dico, ſine, comprendi ſatis.
Nec me grauabit hoc onus: deuoluitur
Terræ: ipſe paliuro aſpera foſſum caput
Vnge, vnge pectus, brachia, & manus Ioſeph:
Reliquum ego corpus malobathro hoc imbuam,
Vidóq; odore, conchis de capacibus.
Ioſ. Age corpus ipſum his inuoluamus faſcijs
Tuis, meiſq;. Nic. inuoluamus. ſed heus Ioſeph
Poſui nouum ſepulchrum in horto proximo
Meo, quod excidi viuo ſaxo mihi

Meiſq; amicis, in quod poſitus quiſpiam
Nondum fuit, illuc deferendum hunc cenſeo.
Ioſ. Recte, ſublimē rapiamus, date huc manus.
Sic ô ſic poſitum adſemur vale, vale, vale.
Nic. Hoc tumulum prius emuniamus obice,
Propiúſq; ſaxum hoc aduoluamus oſtio.

ERRATA.

A quarto, facie 2	Ponite metum, omnibus adero præſens locis.
B primo, facie 2	Diſpendi in hanc paratus ergo meiipſius.
C quinto, facie 1	Hærebo parieti. Par. Heus quid hic, malum, lates?
E quinto, facie 1	Brumax, Sangax.

EMERICVS TROIANVS Lectori S. D.

Voluimus te lector admonitum in calce operis, authorem vſum fuiſſe cum multis carminum generibus, tum maxime trimetro iambico: cui intermiſcet frequēter anapeſtos, dactylos, ſpondęos, amphimacros, nullo pene ſedium delectu, præter quàm quòd ſede ſemper vltima, niſi vno aut altero in loco magis ſeruiens rei quàm vſui, ſpondæum

ronem in his quæ plurima vertit ex Græcis, ſequutus. Admiſcet, & dimetra eadem lege qua & in trimetris. Addit etiam adonios & aliud carminis genus, quo frequenter Euripides vtitur. Indixit autem operi titulum, CHRISTVS *Xylonicus, quòd is de ſuis in ligno hoſtibus triūphum egerit, ſuáq; morte, mortem ſuperauerit. Nihil omnino finxit, niſi illam fortaſſe cõcionem quam obiter* CHRISTVM *habuiſſe veriſimile videri poteſt: qui nullum vnquã tempus intermiſerit, aut ad bene agendum, aut ad bene docendũ. Illam deniq; beatæ* MARIAE *commiſerationem, quam quia magis eſt pia q̃ ab euangeliſtis (licet à multis alijs) tradita prætermittendam non putauit. Concio illa ferè tota deſumpta eſt, vel ex ſermone* CHRISTI *in mõte habito, cuius meminit* Matthęus *cap. 5. vel ex eo quem in cœna habuit. de quo abundè apud* Ioannem 14. *Expatiatur autem in multis, nunquam tamen à fide hiſtoriæ recedẽs, vt vel tempus currere videatur, vel exaggeret, ſi quid exaggerari poteſt, aut effingi atrocius, quod non in* CHRISTVM *magis impiè geſtum ſit.* Horum te lector optime admonitũ voluimus. Boni porrò conſulas velim laborem, qualis qualis eſt, & authoris & chalcotypi. *Hac enim ratione animos illis ad maiora poſthac audenda, addideris.* Vale.

W